This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BL
795
D5
L4

YC 98915

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

QUO ANIMO GRAECI

PRAESERTIM V° ET IV° SAECULIS

TUM IN VITA PRIVATA TUM IN PUBLICIS REBUS

DIVINATIONEM ADHIBUERINT

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

Ph. E. LEGRAND

Scholae Gallicae, quae est Athenis, olim socius.

LUTETIAE PARISIORUM

APUD A. FONTEMOING, BIBLIOPOLAM

4, Via dicta Le Goff, 4

M DCCC XCVIII

Digitized by Google

Digitized by Google

Regents Univ. of
California

Digitized by Google

Digitized by Google

QUO ANIMO GRAECI

PRAESERTIM V° ET IV° SAECULIS

TUM IN VITA PRIVATA TUM IN PUBLICIS REBUS

DIVINATIONEM ADHIBUERINT

Digitized by Google

Digitized by Google

QUO ANIMO GRAECI

PRAESERTIM V° ET IV° SAECULIS

TUM IN VITA PRIVATA TUM IN PUBLICIS REBUS

DIVINATIONEM ADHIBUERINT

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PH. E. LEGRAND

Scholae Gallicae, quae est Athenis, olim socius.

LUTETIAE PARISIORUM

APUD A. FONTEMOING, BIBLIOPOLAM

4, Via dicta Le Goff, 4

M DCCC XCVIII

Digitized by Google

Catalog
4-21-59

Digitized by Google

BL795
D5L4

CLARISSIMO VIRO P. FOUCART

HOC OPUSCULUM

EIUS AUTORITATE INCEPTUM

D. D. D.

702

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIUM

Locupletissimae materiae quam praebet historia divinationis, a doctissimo Bouché-Leclercq digestae et pertractatae[1], exiguam partem denuo examinandam suscepi. Omisso enim quicquid ad ritus fatidicos spectat, vel ad illustrium divinorum vitas, vel ad illorum templorum quae veteres μαντεῖα vocabant originem, annales et auctoritatem, in priore parte huius disputatiunculae id tantum tractabo, quo animo Graeci praesertim v° et iv° saeculis divinatione usi sint: inquiram scilicet quid commodi consulentes sibi speraverint; quomodo aptum respondendo deum quem interrogabant sibi finxerint; quid conferat divinationis historia ad pietatem recte aestimandam quam adversus deos Graeci exercebant, vel disciplinae moralis qua utebantur sanctitatem aeque perpendendam; quo fieri tandem potuerit ut divinis oraculorumque ministris vulgus tam diu crederet. In altera parte indagabo quatenus in publicis rebus usus divinationis mala fide, factionum civitatumve simultatibus, aliquando corruptus fuerit.

Locorum ad rem spectantium ex multis titulis scriptorumque veterum operibus copiosam synagogen compa-

[1] *Histoire de la divination dans l'antiquité*, Paris, Leroux, 1879-1882.

Digitized by Google

ravi; quam olim, ut spero, commentariis et indicibus instructam publici iuris faciam, nunc vero utpote nondum absolutam in chartis meis retineo. Liceat saltem profiteri me in hoc libello, ubicumque affirmabo alicuius generis monumenta nulla exstare, neque temere affirmaturum neque auctore alio, sed ex meis propriis investigationibus. De lege autem quam in eligendis exemplis secutus sum pauca praemonenda videntur. Certi cuiusdam saeculi mores et ingenium non minus ex eis saepe apparere quae illius saeculi scriptores mythicis vel fictis personis affinxerint quam ex eis quae quidam revera tunc temporis egerint, dixerint aut meditati sint, nemini non manifestum est. Noli igitur mirari si, inter testimonia consuetudinis quae v° saeculo viguit, nonnullos locos affero Sophoclis, Euripidis, Aristophanis fabularum, vel narrationes mythicas quas v° saeculo vulgatas fuisse compertum est aut verisimile; si historicorum, in priore parte, fidem nusquam exploro, ubi non scriptorum fides, sed aetas respicienda est. Quin et in parte altera interdum parvi intererit num quae tradunt scriptores revera ita evenerint, dummodo a referentibus evenisse credantur aut evenire potuisse : cum enim veteres poetae et historici in mythica tempora vel antiquiorem aetatem sui saeculi instituta libenter transferant, ex eis quae (ut exemplis utar) de theororum delectu, de publicorum divinorum officiis et auctoritate aut fingunt aut ementiuntur, tu aliquatenus temporis quo illi scribebant instituta cognoscere queas. Ceterum, quotienscumque licebit, testimoniis veracibus utar; titulos inprimis quam plurimos proferam.

Scribebam Avarici, ann. MDCCCXCVII,
a. d. IV Kal. Ian.

Digitized by Google

QUO ANIMO GRAECI

PRAESERTIM V° ET IV° SAECULIS

TUM IN VITA PRIVATA TUM IN PUBLICIS REBUS

DIVINATIONEM ADHIBUERINT

PARS PRIOR

DE DIVINATIONE IN UNIVERSUM

I

QUID COMMODI GRAECI EX DIVINATIONE SIBI SPERAVERINT

Scriptores graeci antiqui, quotiens de usu et fructu divinationis disserunt, id praecipue extollere solent, quod per eam hominibus discernere liceat *ὅ τε χρὴ ποιεῖν καὶ ἃ μή*[1]. Videamus primum haec verba quo tendant et quot modis intelligi possint.

Si Xenophonti credimus, hoc praesertim ex divinatione expetendum : num certum quoddam consilium, quod aliquis mente conceperit, expediat exsequi. In eo stat unus ut domum aedificet ; alter, ut agrum colat ; alius, ut urbis

[1] Cf. Xenoph., *Memor.*, I. 4. 14-15 (συμβούλους ὅτι χρὴ ποιεῖν καὶ μὴ ποιεῖν) ; IV. 3. 12 (προσημαίνουσί σοι ἃ τε χρὴ ποιεῖν καὶ ἃ μή) ; *Conviv.*, 4. 47 (τί τε χρὴ ποιεῖν καὶ τί οὐ χρὴ ποιεῖν) ; *Hipparch.*, 9. 9 (τί χρὴ ποιεῖν) ; *Cyrop.*, I. 6. 46 (προσημαίνουσιν ἃ τε χρὴ ποιεῖν καὶ ἃ οὐ χρή.

Digitized by Google

vel militiae munia obeat; alius, ut formosam quamdam mulierem in matrimonium ducat aut ad optimates propinquitate se iungat. Quamvis magna vero prudentia consilium volverint et contemplati sint, nihilominus accidere potest ut hic propter propinquos e patria sua expellatur, ut ille cum uxore sua non sine discordia vivat, ut alii ex honoribus, ex agro, e domo, commodi nihil percipiant, re, ut assolet, contra spem cedente. Quare sapientis est, priusquam alea iacta sit, deos rogare quid agere praestet (*εἰ ποιητέον*[1]). Necnon cui in animo est cum quodam necessitudinem contrahere[2], vel cuiusdam fortunam sequi, vel certae cuidam civitati operam praebere[3], eadem cautio adhibenda.

Revera Graecos divinatione eo modo quem probat Xenophon frequenter usos fuisse, monumenta plurima testantur. Dodonaearum lamellarum bona pars huc in censum venit[4], aliorumque titulorum nonnulli[5]. Neque e scriptoribus vi vel vi saeculi difficile erit exempla quot velis proferre. Sic apud Herodotum Croesum quaerentem videmus *εἰ στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας καὶ εἴ τινα στρατὸν ἀνδρῶν προσθέοιτο σύμμαχον* (I. 53), Pelasgos *εἰ ἀνέλωνται τὰ οὐνόματα* (deorum scilicet) *τὰ ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἥκοντα* (II. 52), Metapontinos (ut ex responso conicio) num Aristeae spectro parendum sit (VI. 36), Paeonios num Perinthiis

[1] *Memor.*, I. 1. 6-9.
[2] *Ibid.*, II. 6. 8.
[3] *Cyrop.*, I. 6. 45.
[4] Collitz, *Sammlung der griech. Dialekt-Inschriften*, II. 2 : *Die Orakelinschriften aus Dodona*, bearbeitet von O. Hoffmann (1890), 1557, 1559, 1560 A, 1568 Aa, 1569 A, 1572 b, 1573, 1575 A, 1580, 1581, 1583, 1585 A, 1588, 1590; quibus addas BCH, XIV, p. 157.
[5] Cf. Collitz, *o. l.*, III. 3 *(die argivischen Inschriften)*, 3342, IV init. (init. iii saeculi); Dittenb., *Sylloge inscriptionum*, 360, 391 (iv saeculi); BCH, XIII, p. 434-435; etc.

Digitized by Google

bellum indicere oporteat (V. I), Miltiadem Cypseli filium εἰ ποέοι τάπερ αὐτῡ οἱ Δόλογκοι προσεὐέοντο (VI. 36), Glaucum Spartiatam εἰ ὅρκῳ τὰ χρήματα λήσηται (VI. 86), Parios εἰ καταχρήσονται τὴν ὑποζάκορον (VI. 135), Cretes εἴ σφι ἄμεινον γίνεται τιμωρέουσι τῇ Ἑλλάδι (VII. 169); apud Thucydidem Epidamnii Delphis sciscitantur εἰ παραδοῖεν Κορινθίοις τὴν πόλιν ὡς οἰκισταῖς καὶ τιμωρίαν τινὰ πειρῶντο ἀπ' αὐτῶν ποιεῖσθαι (I. 25. 1), Peloponnesii εἰ πολεμοῦσιν ἄμεινον ἔσται (I. 118. 3), Lacedaemonii num Heracleam Trachiniae coloni mittendi sint (III. 92. 5); Clearchus in *Anabasi*, post pugnam Cunaxae commissam, per hostias ex deis exquirit num bonum sit ultra procedere vel ad Cyrianos retro proficisci (II. 2. 3); Xenophon ipse itidem, num urbem in Ponto condere (V. 6. 16), imperium suscipere (VI. 1. 20), exercitum deserere (VI. 2. 15), milites ad Seuthem ducere (VII. 2. 15), postea apud eumdem principem manere vel regno eius exire (VII. 6. 44). In historicorum operibus qui bella proeliaque narrant persaepe legimus duces de opportunitate castra movendi, hostium agmen incursandi, oppidum struendi, insidias componendi, audax facinus tentandi, numina consuluisse[1]. Spartanorum reges non nisi *diabateriis* et Spartae Iovi Ductori et in Laconiae finibus Iovi ac Minervae perlitatum erat, exercitum extra patriam educebant[2]. Athenis, ab initio

[1] Cf. Herod., VI. 76 (οὐκ ἐκαλλίρεε διαβαίνειν μιν); IX. 19 (καλλιρησάντων τῶν ἱρῶν ἐπορεύοντο πάντες... ὥς σφι ἐκαλλίρεε, τὸ πρόσω ἐπορεύοντο); IX. 61 (ἐσφαγιάζοντο ὡς συμβαλέοντες Μαρδονίῳ, cf. 62); IX. 92, 96 (τοῖσι δὲ Ἕλλησι ὡς ἐκαλλίρησε, ἀνῆγον τὰς νεάς); Xen., *Anab.*, III. 5. 18 (ἐπὶ τούτοις = ἐπὶ τῇ πορείᾳ); VI. 4. 9 (ἐπ' ἐξόδῳ); VI. 4. 14 (ἐπὶ τῇ ἀφόδῳ); VI. 5. 2 (ἐπ' ἐξόδῳ); VI. 5. 8; VI. 6. 35 (ἐπ τῇ πορείᾳ); VII. 8. 20; *Hellen.*, III. 4. 15 (ἐπὶ προόδῳ); IV. 1. 22; IV. 6. 10; IV. 7. 7; IV. 8. 36; VII. 2. 20-21.

[2] *Diabateria* descripsit auctor *Reipublicae Lacedaemoniorum* 13. 2-3; saepius commemoraverunt et Thucydides (V. 54. 2; 55.

Digitized by Google

saltem III[1] saeculi, nulla fiebat de publicis rebus deliberatio, antequam cives e prytanibus audivissent non invitis deis contionem haberi[1]. In diversorum oraculorum sedibus, ne deum homines intempestive adirent sacrificiis et haruspicina cavebatur[2]. Similia multa invenias. Neque a Xenophonteis differunt quae praebet Plutarchus, posterioris aetatis auctor, inter ea referens de quibus aequales consulere solerent, in libello quidem *de E Delphico* conscripto (§ 5), εἰ γαμήσουσιν, εἰ συμφέρει πλεῖν, εἰ γεωργεῖν, εἰ ἀποδημεῖν, et rursus, in altero libro cui titulum vulgo imponunt *De Pythiae oraculis* (§ 28), εἰ γαμητέον, εἰ πλευστέον, εἰ δανειστέον[3].

Similiter fere divinatio usurpatur quotiens non iam quaeritur praestetne certum quoddam propositum perficere annon, sed ex pluribus propositis quid perficere satius sit : quo modo Dodonae nescio quis rogat ἦ αἰτέωμαι τανὶ πολιτείαν ἐπὶ ταὐτὶ ἢ τοῦ εἰσιόντος (Collitz, 1589), alter ἦ εἰς Ἐλίναν περιέλθ[ωμες] ἢ εἰς Ἀνακτόριον, ἢ πωλοῦντες τὸν [λέμβον πεζῇ πορευσόμεθα] (Collitz, 1561 C)[4]; vel Timotheus Anaphaeus ex deo exquirit ποτέρον αὐτῶι λῶιον καὶ ἄμει[νόν] ἐστιν αἰτήσασθαι

3 ; 116. 1) et Xenophon *(Hellen.*, III. 4. 3 ; III. 5. 7 ; IV. 7. 2 ; V. 1. 33 ; V. 3. 14 ; V. 4. 37 et 47 ; VI. 4. 19).

[1] Cf. Gilbert, *Handbuch der griech. Staatsalterthümer*, I², p. 325-326 et n. 1.

[2] De oraculo Delphico cf. Plut., *De defectu oraculorum*, § 46 (= p. 435 BC) ; de oraculo Lebadeae, Pausan., IX. 39. 4 ; de oraculo Apollinis Coropaei, inscriptionis a Lollingio editae *(Ath. Mittheil.*, 1882, p. 163 sq.) lineas 30-32 (ὅταν δὲ παραγένωνται οἱ προειρημένοι ἐπὶ τὸ μαντεῖον καὶ τὴν θυσίαν ἐπιτελέσωσι κατὰ τὰ πάτρια καὶ καλλιερήσωσι) ; etc.

[3] Adde quod paulo supra invenitur (§ 26) : περὶ ὠνῆς ἀνδραπόδου, siquidem, ut puto, haec verba idem valent quod εἰ ὠνητέον.

[4] Pomtowii additamenta *(Neue Jahrbücher*, 1883, p. 332), licet incerta, recepi.

Digitized by Google

τὰν πόλιν ἐν <τ>ῶι ἐπινοεῖ τόπωι ἐν τῶι τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἀσγελάτα, ὥστε ναὸν τᾶς Ἀφροδίτας οἰκοδ[ομ]ῆσαι, καὶ ἦμεν δαμόσιον, ἢ ἐν τῶι ἱερῶι τοῦ Ἀ[σκλ]απίου ἐν ὧι ἐπινοεῖ τόπωι[1]; vel apud Herodotum Epidaurii Delphis sciscitántur κότερα χαλκοῦ ποιέωνται τὰ ἀγάλματα (Damiae et Auxesiae) ἢ λίθου (V. 82), Delphique ipsi, Persis advenientibus, εἴτε τὰ ἱρὰ χρήματα κατὰ γῆν κατορύξωσι εἴτε ἐκκομίσωσι ἐς ἄλλην χώρην (VIII. 36). Eodem referendae sunt historiae in quibus deo permittitur ut ex multis aemulis unum eligat, sive in medio aliquid boni positum est, sive mali. Principes oraculo creantur Pelasgus[2], Medon[3], Echelaus[4], Aleuas[5], Gyges[6]; cui procorum filiam nuptum collocare praestet, Phocus ab Apolline[7], Theophanes a Trophonio[8] percontari statuit; atticarum tribuum ἥρωας ἐπωνύμους decem ex centum legendos quos proposuerat Clisthenes oraculo mandat (Arist., Ἀθ. Πολιτ., 21 ad fin.); Thurii coloni, ex multis civitatibus collecti, non sine iurgiis ambigentes quis sit agnoscendus coloniae deductor, deo Delphico altercationem dirimendam tradunt[9]; proscriptorum bona Plato in *Legibus* (p. 856 D) puero decem annos nato attribui iubet quem ex decem, sorte lectis, Pythia designaverit. Quaerentibus vero quousque apud civitates patuerit mos divinationem in magistratuum creatione adhibendi, paucissima exempla occurrunt. Sortitio quidem, cuius usus latissimus fuit, non sine deo peragi nonnunquam asseveratur[10]; sed tunc

[1] CIG, 2477 (= Collitz, *Dialekt-Inschriften*, 3430), l. 24-28.
[2] Pseudo-Hecat., fr. 375 (FHG, I, p. 31).
[3] Pausan., VII. 2. 1.
[4] Plut., *Conviv. Sept. Sapient.*, 20.
[5] Plut., *De fraterno amore*, 21.
[6] Herod., I. 13.
[7] Plut., *Narrat. amatoriae*, 4.
[8] *Ibid.*, 1.
[9] Diod., XII. 35. 3.
[10] Cf. Plat., *Leg.*, p. 759 C; CIG, 2884. Recentiorum de re

Digitized by Google

tantummodo ubi sacerdotes nominandi erant. Athenienses Exegetas πυθοχρήστους, si non illo modo creati fuerunt quem Plato descripsit[1], aliquatenus tamen a Pythia designatos fuisse ipsum nomen testari videtur. Plura hic proferre nequeo.

In approbando vel reiciendo quae consilia homines excogitaverant, aut in eligendo unum inter plura, non totum deorum opus ponebatur : a quibus nonnunquam exposci videmus, ut inopi cuidam consilii monstrent quo se vertat vel quid tandem agat; velut ab Apolline, anno a. Chr. 370, sciscitantur Delphi τί χρὴ ποιεῖν, ἐὰν λαμβάνῃ (Iaso Pheraeus) τῶν τοῦ θεοῦ χρημάτων[2]. Talis usus divinationis in monumentis quae supersunt rarius apparet quam quos adhuc consideravimus, nec dubito quin in Graecorum vita cotidiana omnino rarior fuerit[3]. Quemquam aliquando Delphis quaesivisse unde uxor ducenda, ut apud Pausaniam (IV. 24. 1) Damagetus quaerit, equidem vix credi-derim ; neque multo verisimilius cuiuslibet unquam civitatis civés regem, ut ita dicam, de caelo exspectavisse, quo modo post exstinctos Heracleidas Argivi secundum

opiniones (Cf. inprimis Fustel de Coulanges, *Problèmes d'histoire*, p. 155 sq.) utpote dubias omitto.

[1] *Leges*, p. 759 D : τοὺς δὲ ἐξηγητὰς τρὶς φερέτωσαν μὲν αἱ τέτταρες φυλαὶ τέτταρας, ἕκαστον ἐξ αὑτῶν, τρεῖς δὲ, οἷς ἂν πλείστη γένηται ψῆφος, δοκιμάσαντας ἐννέα πέμπειν εἰς Δελφοὺς ἀνελεῖν ἐξ ἑκάστης τριάδος ἕνα. Cf. Petersen, in *Philologo*, 1er Supplementband, p. 157-159.

[2] Xen., *Hellen* , VI. 4. 30.

[3] Vix est quod moneam me consulentium voluntatem potius quam verba respicere. Luce clarius est Cymaeos (ut exemplis utar), cum deos rogarent ὁκοῖόν τι ποιέοντες θεοῖσι μέλλοιεν χαριεῖσθαι (Herod., I. 158), de hoc tantum dubitasse, traderentne Pactyam annon ; Argivos. cum sciscitarentur ὅῳς σφι μέλλει ἄριστον ποιεῦσι γενέσθαι (Herod., VII. 148), in eadem sententia fuisse atque Cretes quorum verba supra memoravi (VII. 169) ; etc.

Digitized by Google

oraculum exspectavisse narrantur[1]; aut tot colonos rogavisse quo terrarum transmigrandum esset[2]. Dubitatio qualem Sophocles Creonti affinxit haerenti quanam ratione adversus Oedipum se gerat (*Oed. R.*, v. 1439 sq.), aut Diodorus Corinthiis, incertis quomodo pueris Medeae suprema officia solvant (IV. 55. 1), facilius deo deferri potuit. Nonnullos vero interdum, in summas angustias redactos, ad oracula confugisse, — haud secus atque Messenios de quibus Strabo loquitur (VI. 1.6) —, *πυνθανομένους πῶς ἂν σωθεῖεν ἀπολωλότες*, pro certo habendum videtur. Frequens inprimis percontatio *ὅτι χρὴ ποιεῖν* post omnis generis ostenta, *σημεῖα* in caelo adspecta, ossa vel simulacra inopinato inventa, insolitos casus qualescumque; quin, si Theophrasto credimus[3], interdum post eventa minimi ponderis qualia quaeque dies afferre potest; cuius exempla fide dignissima et lapides praebent et oratores attici[4]. Necnon aliquando privatorum sive civitatum sollicita religio, nullo portento superveniente, ex oraculis vatibusque ultro inquirebat quibus sacris et caerimoniis numina propitiari possent. Testimonio sint et titulus

[1] Plut., *De fort. Alexandri*, II, 8.

[2] Cf. quae scripsit Holmius, *Griech. Gesch.*, I, p. 294-295.

[3] Χαρακτ., XVI (Δεισιδαιμονίας) :... καὶ ἐὰν μῦς θύλακον ἀλφίτων διαφάγῃ, πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθών, ἐρωτᾷν τί χρὴ ποιεῖν.

[4] Cf. inscr. Magnesiae repertam, *Rev. des Études grecques*, 1890, p. 350-351 : Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἐπὶ πρυτάνεως Ἀκροδήμου τοῦ Διοτείμου, ὁ δῆμος ὁ Μαγνητῶν ἐπερωτᾷ τὸν θεὸν περὶ σημείου τοῦ γεγονότος, ὅτι πλατάνου κατὰ τὴν πόλιν κλασθείσης ὑπὸ ἀνέμου εὑρέθη ἐν αὐτῇ ἀφείδρυμα Διονύσου, τί αὐτῷ σημαίνει; ἢ τί ἂν ποιήσας ἀδεῶς διατελοῖ ἥδιον; (IV° vel III° saeculo eventum Reinachius refert); Dem., *adv. Macartat.*, § 66: Ἐπερωτᾷ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων περὶ τοῦ σημείου τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ γενομένου, ὅτ' ἂν δρῶσιν Ἀθηναίοις ἢ ὅτῳ θεῷ θύουσιν ἢ εὐχομένοις εἶη ἐπὶ τὸ ἄμεινον ἀπὸ τοῦ σημείου; Aesch., *adv. Ctesiph.*, § 130: οὐχ ἱκανὸν ἦν τὸ τοῖς μυστηρίοις φανὲν σημεῖον φυλάξασθαι, ἢ τῶν μυστῶν τελευτή; οὐ περὶ τούτων Ἀμεινιάδης μὲν προὔλεγεν εὐλαβεῖσθαι καὶ πέμπειν εἰς Δελφοὺς ἐπερησομένους τὸν θεὸν τί χρὴ πράττειν...;

Digitized by Google

Halicarnassius (*Inscr. Brit. Mus.*, IV. 1, p. 69 = *Journ. of hellenic Studies*, 1896, p. 234) II[i] aut iam III[i] saeculi quo certus Posidonius ex Apolline quaesivisse narrat τί ἂν αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἐξ αὐτοῦ γενομένοις καὶ οὖσιν ἔκ τε τῶν ἀρσένων καὶ τῶν θηλείων εἴη λῴϊον καὶ ἀμεινον ποιοῦσιν καὶ πράσσουσιν, et lamina illa Dodonaea (Collitz, 1582 a) qua Evander quidam et mulier Iovem Dionamque rogant τίνι κα φεῶν ἢ ἡρώων η δαιμόνων εὐχόμενοι καὶ φύοντες λῴϊον καὶ ἄμεινον πράσσοιεν καὶ αὐτοὶ καὶ ἃ οἰκησις καὶ νῦν καὶ ἰς τὸν ἅπαντα χρόνον. Similibus verbis, ut puto, Apollinem Ptoïum Boeoti interrogaverunt et Acraephiotae quorum opera tituli exarabantur ab Holleauxio reperti[1] : nusquam enim certo negotio, vel periculo, vel portento in illis titulis alluditur[2].

Hactenus Graecos vidimus divinationem adhibentes ut in universum vitam sibi quam felicissimam pararent vel in discrimina quam paucissima laberentur. Fuit autem etiam cum commoda certa appeterent. Ad salutem recuperandam non modo quorumdam deorum, quibus ars medendi praeter cetera curae fuit, ἰατρομαντεῖα adibant, ut Aesculapii, Herculis, Nympharum, sed et Delphicum tripoda et Dodonae quercum fatidicam et cuiusque dei oracula[3]. Pestilentiis, si qua ingruisset, pecorum malis

[1] BCH, XIII, p. 2-7, 226; XIV, p. 3-4 = CIGS, 1672-1674, 2723-2724 d, 3207, 4056, 4057.

[2] Plerumque nihil amplius dicitur quam Boeotos tripoda κατ τὰμ μαντείαν τῶ 'Απόλλωνος dedicasse; semel legimus μαντευσαμένω τῶ θεῶ καὶ ἀποδόντος τὰν ἀγαθὰν μαντείαν.

[3] Cf. Dodonaeas lamellas 1561 B, 1564, 1566 A, 1587 A, et Coropaei tituli (*Athen. Mittheil.*, 1882, p. 163 sq.) lineas 11-13. Scriptores plura suppeditant: cf. Herod., I. 19; I. 85; IV. 155; Eurip., *Alc.*, v. 112 sq.; *Iph. T.*, v. 82-83; Diod., IV. 31. 5; IV. 38. 3; Paus., III, 19. 11; VII. 19. 3; VIII. 24. 4; Hygin., 101 (fabula a tragicis VI[i] saec. tractata, cf. Welcker, *Griech. Tragödien*, II, p. 477 sq.); etc.

Digitized by Google

contagiis, frugum inopiae, siccitati nimiae, ferarum, volucrum, locustarum iniuriis, defunctorum irae, assidue rogabant quomodo finem imponerent[1]. Cui filius nullus nascebatur, de curis, precibus remediisque consulebat quibus sibi progeniem comparare posset[2]. Bellantes scire gestiebant qua arte hostem arcesserent, obsessam urbem expugnarent, victoriam adipiscerentur[3]. Cetera omitto, utpote quae diversissima sub paucis titulis digeri nequeant.

Denique haud raro quaesitum legimus, non iam quibus modis hoc aut illud adipisci liceat, sed num detur omnino ad optatos exitus pervehi; ita quidem, ut, si neget deus, propositum homo repudiet. Apud Herodotum percontantur Lacedaemonii fierine possit ut Arcadia tota potiantur (I. 66), Dorieus Eryce (V. 43), Cleomenes Argo (VI. 76; 82); Arcesilas, Cyrenis eiectus, ut regnum suum recipiat (IV. 163), Clisthenes, ut Adrastum pellat (V. 67). Multa

[1] Cf. titulos BCH, IV, p. 473; VI, p. 455; V, p. 340; Kaibel, *Epigrammata*, 1034 (cf. Buresch, *Klaros*, p. 81-86); 1035 (cf. Buresch, *o. l.*, p. 70-73); Buresch, *Klaros*, p. 10-29; Kaibel, *o. l.*, 1036; CIG, 2717. Adde quod, collatis cum CIA IV 27 b (= Dittenberger, *Sylloge*, 13) et scholiastae commentario ad Aristophanis *Vesp.*, v. 718 et tituli CIA IV 22 c linea 6, Busoltius acute coniecit illam μαντείαν de qua loquitur CIA IV 27 b Atheniensibus annona laborantibus a Pythia editam fuisse (*Griech. Geschichte*, III. 1, p. 475, n.). — E sexcentis quae scriptores praebent sufficiat pauca memorare: Herod., IV. 149; 151; V. 82; VI. 139; IX. 93; Thucyd., II. 47. 4; Soph., *Oed. R.*, v. 68 sq.; Plat., *Phaedr.*, p. 244 DE; Dem., *Mid.*, § 52 (περὶ ὑγιείας θύειν, cum nota Weilii); Diod., IV. 42. 3; 61. 1; V. 58. 4; XII. 58. 6; Paus., I. 2. 3; 24. 8; II. 3. 6; 9. 7; 29. 6; V. 13. 3; VI. 11. 2; 19. 2; 21. 1; VIII. 23. 5; 28. 3; 41. 4; 53. 1; IX. 8. 1; 33. 3; 38. 3; 38. 4; 40. 1; X. 11. 4; Plut., *De defectu orac.*, § 28; etc...

[2] Vide infra, p. 18-19.

[3] Herod., I. 67; 79; VI. 19; 34; VII. 140-141; 220; Diod., VIII. 27. 1; IX. 3. 2; 16; Ephor. ap. Strab., IX. 2. 4.

Digitized by Google

eiusdem generis suppeditant bellorum scriptores : sacris feliciter peractis, confidit Xenophon se flumen traicere posse (*Anab.*, IV. 3. 19), vel oppidum occupare (*o. l.*, V. 4. 22), vel Asidatem, Persam ex optimatibus, cum familia capere (*o. l.*, VII. 8. 10).

*
* *

Quid valeat illud τί χρὴ ποιεῖν, quod apud scriptores saepius occurrit ubicumque divinationis praecipuum fructum indicare volunt, satis exposuimus. Nunc examinandum quam saepe Graecos ad oracula divinosque traxerit rerum futurarum mera curiositas.

Cum nemo mortem effugere queat, facile suspiceris de obitu suo nonnullos sciscitatos esse. Et vaticinia quidem sat multa traduntur ad illustrium virorum interitum pertinentia. Quin et quosdam legimus, — plerumque, fateor, apud mythographos seriore aetate scribentes, — περὶ τῆς τελευτῆς[1], περὶ καταστροφῆς τοῦ βίου[2], consuluisse. Quae cum ita sint, operae dignum puto inquirere quid Graeci circa proprium obitum praecognoscere cupiverint. Diem fato constitutam consulentibus vates nuntiasse, perraro traditur : narrat Herodotus (II. 133) Mycerino, regi Aegyptio, oraculum Butus praedixisse fore ut post sex annos e vita cederet ; Herculi Sophocleo Dodonae detectum fuerat quo anno et mense ad finem laborum perventurus esset (*Trach.*, v. 76, 164, 1169) ; alia eiusdem modi apud Graecos antiquiores dubito annon reperias.

[1] Diod., II. 14. 3 (de Semiramide) ; IV. 73. 2 (de Oenomao).
[2] Apollod., III. 2. 1 (de Catreo).

Digitized by Google

Quid ergo? Nullum hariolum tanto acumine praeditum fuisse ut rogantibus quando morituri essent vere ac lucide respondere posset, nemini non constat; cum vero tot vaticinia ficticia exstent, promptum erat, ad gloriam vatum adaugendam, talia multa fingere qualia vix duo repperi; ita ut, ni fallor, non male conicere possis vaticinia quale Mycerinus accepit non illis annumeranda esse quae vulgus poscere solebat. Adde quod neque Mycerinus neque Sophoclis Hercules de eo quod discunt rogavisse deum perhibentur; neque, quantum scio, scriptores graeci quemquam de tempore mortis quaerentem inducunt, non dico de die, de mense, de anno, sed ne ita quidem : « Iuvenisne moriturus sum an senex?[1] » Quare libenter ego crediderim Graecos eadem sensisse quae sentit Aeschylus, inter Prometheī beneficia primo quidem loco commemorans quod θνητοὺς ἔπαυσε μὴ προσδέρκεσθαι μόρον[2]. Vaticiniorum περὶ καταστροφῆς τοῦ βίου editorum pars longe maxima vel locum, vel modum, vel causas futuras mortis praenuntiant, et ita quidem plerumque ut praemonito homini spes concedatur, non sane fatum effugiendi[3], sed letalem horam retardandi. Quamdiu enim Hesiodus loca vitaverit quibus nomen Nemea[4], Cambyses loca dicta Ecbatana[5], quamdiu Acrisius

[1] Nisi Luciano attendere velis, in *Hermotimo* scribenti (§ 6) :.. ὑπὲρ δὲ τῶν εἴκοσιν ἐτῶν, ὅτι βιώσῃ τοσαῦτα, πότερον ὁ διδάσκαλός σου καθυπέσχετο, οὐ μόνον σοφὸς ἀλλὰ καὶ μαντικὸς ὤν, ἢ χρησμολόγος τις, ἢ ὅσοι τὰς Χαλδαίων μεθόδους ἐπίστανται; Φασὶ γοῦν εἰδέναι τὰ τοιαῦτα...; et rursus in *Dialogis mortuorum* (XI. 1), ubi duos aequales inducit quorum qui alterum vita superaret praemorienti heres futurus erat : καὶ οἱ μάντεις, οἵ τε ἀπὸ τῶν ἄστρων τεκμαιρόμενοι τὸ μέλλον οἵ τε ἀπὸ τῶν ὀνειράτων, ὥς γε Χαλδαίων παῖδες, ἀλλὰ καὶ ὁ Πύθιος αὐτὸς ἄρτι μὲν Ἀριστέᾳ παρεῖχε τὸ κράτος, ἄρτι δὲ Μοιρίχῳ.

[2] *Prom.*, v. 248. Cf. Weckl. ad locum

[3] De quo videas Luciani cavillationes in *Iove confutato*, § 12.

[4] Thucyd., III. 96.

[5] Herod., III. 64

Digitized by Google

Danaen virginem servaverit[1] vel Aleus Augen[2], Oenomaus vero filiam innuptam[3], quamdiu Catreus a pueris suis se segregaverit[4], Aeetes advenas per mare advectos ab aurea pelle amoverit[5], non habebunt cur mortem timeant. Sic pleraque inprimis vaticinia conflata sunt quae de virorum v° iv° iii° saeculis defunctorum exitio circumferebantur : Lysandri[6], Epaminondae[7], Alexandri Molossorum regis[8], Dionysii Syracusani[9], Satyri et Eumeli Bospori principum[10], etc. ; necnon et illud pseudo-oraculum quod Aristophaneus Philocleon Delphis olim accepisse dicit :

Vesp., v. 158. . . . . ὁ γὰρ θεὸς
μαντευομένῳ μοὔχρησεν ἐν Δελφοῖς ποτε,
ὅταν τις ἐκφύγῃ μ', ἀποσκλῆναι τότε.

Quapropter eo adducor ut credam Graecos, si de morte sua unquam consuluerunt, id fere sciscitatos esse : quid agendo (τί ποιοῦντες) vitae terminum quam longissime prolatare possent ?

Non minus quam mortem fugere, antiquis Graecis cordi fuit liberos post se relinquere. Nihil mirum ergo si tam multos περὶ παίδων, περὶ γόνου, περὶ γενεῆς, περὶ τέκνων γενέσεως, consuluisse legimus. Quaerentibus vero quid illi sibi volue-

[1] Apollod., II. 4. 1.
[2] Paus., VIII. 4. 6 (ex Hecataeo) ; Alcidamas, *Ulysses*, 4 ; cf. Welcker, *Griech. Tragödien*, I, p. 409.
[3] Diod., IV. 73. 2.
[4] Apollod., III. 2. 1.
[5] Diod., IV. 47. 2.
[6] Plut., *Lys.*, 29 (ὁπλίτην κελάδοντα φυλάξασθαί σε κελεύω...).
[7] Pausan., VIII. 11. 6 (πέλαγος φυλάσσεσθαι).
[8] Strab., VI. 1. 5 (φυλάττεσθαι τὸν Ἀχέροντα καὶ τὴν Πανδοσίαν).
[9] Diod., XV. 74. 3 (ἔχων δὲ παρὰ θεῶν λόγιον τότε τελευτήσειν ὅταν τῶν κρειττόνων περιγένηται).
[10] Diod., XX. 26. 1 (φυλάξασθαι τὸν μῦν), 2 (τὴν φερομένην οἰκίαν φυλάξασθαι).

Digitized by Google

rint, plurimos statim apparebit non nisi diuturna ἀπαιδεία laborantes ad oraculum confugisse, a deis percontaturos τί ἂν ποιήσασι παῖδες αὐτοῖς γένοιντο[1]; de aliis, nihilo obstante, eadem statuere licet[2]. Unus, quod sciam, Erginus apud Pausaniam (IX. 37. 2) aliter se gerit : qui innuptus adhuc περὶ παίδων consulit[3]; cave tamen illum curiositatis vanae insimules; cum enim vegetam aetatem iam egressus esset, timendum erat ne frustra uxorem duceret; ita ut de conubii opportunitate non inconsulte deos rogaverit.

Omissis qui περὶ τελευτῆς aut περὶ παίδων consulebant, perpaucos deprehendimus de illa condicione percontantes quae ipsos futura manebat. Apud solum Maximum Tyrium (*Diss.*, XIV. 3) quaerit aliquis εἰ πλουτήσει. Qui, Plutarcho teste (*De E Delphico*, § 5), rogabant εἰ νικήσουσιν, ea mente rogavisse putandi sunt ut, pro responso accepto, vel certarent vel certamine abstinerent[4]; idem de

[1] Xenophontis verba arripui, narrantis quomodo Croesus περὶ παίδων Delphis rogaverit (*Cyrop.*, VII. 2. 19-20). Liberis diu caruisse diserte dicuntur apud Herodotum Eetion (V. 92), apud Pherecydem Neoptolemus (fr. 98 Did.), apud Euripidem Xuthus (*Ion*, v. 304; cf. v. 64 sq., 405 sq., 468 sq., etc.), Laius (*Phoeniss.*, v. 13 sq.), Aegeus (*Medea*, v. 669 sq.), apud Aristotelem Cephalus (fr. 261 a Did.), apud Apollonium Lyrcus (FHG, IV, p. 313); etc...

[2] Vide quae narrant de Acrisio (Apollod., II. 4. 1), Menelao (Schol. cod. *A* ad Iliad., V, 64), Myscello (Diod., VIII. 7. 1-4), Tisameno (Herod., IX. 33), etc... Heracleidas ille qui περὶ γενεῆς Dodonae sic rogat : ἦ ἔστα[ι] (scilicet γενεή) ἐκ τῆς γυναικὸς Α[ἴ]γλης τῆς νῦν ἔχει (Collitz, 1561 A), non dubito quin Aeglam, si dei negarunt, vel repudio dimiserit vel adducta pellice deseruerit.

[3] πλοῦτον δὲ τὸν πρότερον καὶ εὐδαιμονίαν ἐκείνην ἀνασώσασθαι ζητῶν, ἠμέλησεν ἁπάντων ὁμοίως τῶν ἄλλων, ὥστε καὶ ἔλαθεν ἄγαμος καὶ ἄπαις ἀφικόμενος ἐς γῆρας. Ὡς δὲ αὐτῷ χρήματα συνεῖληκτο, ἐνταῦθα ἐπεθύμησέν οἱ γενέσθαι παῖδας · ἐλθόντι δὲ ἐς Δελφοὺς καὶ ἐρομένῳ περὶ παίδων χρᾷ τάδε ἡ Πυθία ·... ὄψ' ἦλθες γενεὴν διζήμενος...

[4] Duces, cum, pugna imminente vel iam incepta, haruspicio

Digitized by Google

Oebota valet quem stadio victurum Iupiter Ammon praedixerat[1]. Cypselus Herodoteus, cum rex Corinthi a Pythia salutatus fuit (Herod., V. 92), non temere, puto, rogaverat εἰ βασιλεύσει, sed de insidiis contra Bacchiadas struendis consilium cum deo communicaverat[2]. Non rogatus Apollo Oedipo apud Sophoclem necem patris et matris nuptias[3], Tisameno apud Herodotum victorias quinque praenuntiat[4]. Amasim unquam quaesivisse de cadaveris proprii iniuriis futuris[5], Oedipum vel Eurystheum de sepulcrorum propriorum vi, ut ita dicam propugnatoria[6], parum probabile videtur. Quid plura? Fere solam habeo quam hic commemorem, utpote quae non studium prodat discendi *quomodo*

ntebantur (Herod., VI. 112; VII. 167; Thucyd., VI. 69. 2; Xen., *Anab.*, I. 8. 15; Eurip., *Phoeniss.*, v. 1255 sq.; etc..; cf. *Hermes*, 1886, p. 309), non tam de exitu proelii certiores fieri volebant quam deos etiamtunc in consilium vocare. Sic Pausanias Plataeis, Persarum turba cominus urgente, immobiles tamen milites tenuit donec exta fausta invenerit (Herod., IX. 61-62; Plut., *Arist.*, § 17); Thrasybulus, iubente divino, non prius in hostes irruit quam e suis unus sit occisus (Xen., *Hellen.*, II. 4. 18-19); Boeoti, pugna a. 394 apud Corinthum commissa, haruspici parentes in manus venire nolebant quamdiu Lacedaemoniis in acie oppositi steterunt (*ibid.*, IV. 2. 18); etc..

[1] Pausan., VI. 8. 2.

[2] Cf. Clisthenem paulo supra quaerentem εἰ ἐκβάλοι τὸν Ἄδρηστον (V. 67).

[3] Soph., *Oed. R.*, v. 788 sq.: ὁ Φοῖβος ὢν μὲν ἰκόμην | ἄτιμον ἐξέπεμψεν, ἄλλα δ' ἄθλια καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα προύφηνεν λέγων | ...

[4] Herod., IX. 33: Τισαμένῳ... μαντευομένῳ ἐν Δελφοῖσι περὶ γόνου ἀνεῖλε ἡ Πυθίη ἀγῶνας τοὺς μεγίστους ἀναιρήσεσθαι πέντε. Non inepte forsitan conicias Pythiam in verbis ἄγονος, ἀγῶνες lusisse; nisi de metaphora malis cogitare, qualem praebet ille locus Diodori (XV. 87. 6): καί τινος εἰπόντος ὅτι « Τελευτᾷς ἄτεκνος, Ἐπαμεινώνδα » καὶ δακρύσαντος, « Μὰ Δία μέν, φησίν, ἀλλὰ καταλείπω δύο θυγατέρας, τήν τε ἐν Λεύκτροις νίκην καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ ».

[5] Cf. Herod., III. 16.

[6] Soph., *Oed. Col.*, v. 621 sq.; Eurip., *Heracl.*, v. 1026 sq.

Digitized by Google

agendum (τί χρὴ ποιεῖν) percontationem Croesi notissimam : εἰ οἱ πολυχρόνιος ἔσται ἡ μουναρχίη (Herod., I. 55)[1].

Cum tam raro Graeci quaesiverint quid esset ipsis fatale, non consentaneum foret eosdem de fato aliorum per otium sciscitatos esse : qua quidem curiositate fere abstinuisse videntur. Si Plutarcho credimus (*Alex.*, 73), Apollodorus Babyloni praefectus de sorte Alexandri regis Pythagoram fratrem haruspicem consuluit. Similia aegre invenias. Saepius legimus de sorte puerorum sive infantium seu in lucem nondum editorum quosdam parentes vaticinia accepisse ; poposcisse autem, perraro vel nunquam. Nihil sciscitati Thetis et Peleus Apollinem apud Aeschylum (*Psychostasia*, fr. 281 Dind.), Chironem apud Euripidem (*Iph. Aul.*, v. 1062 sq.) ventura Achillis facinora enarrantem audiunt ; nihil sciscitato Hippocrati apud Herodotum (I. 59) canit Chilon divinus filium quem genuerit civitatem esse turbaturum ; neque Eetion, cui Pythia praedicit Cypselum Corinthi olim regnaturum (Herod., V. 92), neque nutrix illa Lacedaemonia cui Helena futuram alumnae venustatem praenuntiat (VI. 61), de pueri sorte consulebant ; neque, ut videtur, Philippus divinos interrogaverat a quibus audivit Alexandrum ἀνίκητον fore[2]. Consulenti Mnesarcho circa maritimum iter quod in Syriam suscipere volebat, ultro deus vaticinatur puerum quem pepererit uxor nondum manifeste gravida ad maxima genitum iri[3]. Quaerenti Laio quomodo progeniem sibi comparare posset, futuri fata filii non inquisita reteguntur[4].

[1] Sabacus Herodoteus, cum *adhuc in Aethiopia morans* ex oraculo didicerit ὡς δέον αὐτὸν Αἰγύπτου βασιλεῦσαι ἔτεα πεντήκοντα (II.139), non existimandus est de regni diuturnitate diserte interrogavisse.

[2] Plut., *Alex.*, 3.

[3] Iambl., *Vit. Pythag.*, 5-6.

[4] Eurip., *Phoeniss.*, v. 13 sq.

Digitized by Google

Evadnes pater Pindaricus, comperto filiam innuptam uterum gerere, Delphos illico se confert; num vero percontaturus quid nepotem maneat? Minime; sed potius, credo, quibus poenis filiam mulctare debeat[1]. Amphitryo, cui apud eumdem poetam (*Nem.*, I, v. 60 sq.) Herculis fata adhuc a partu recentis Tiresias expromit, fatidicum senem non arcessit nisi post oppressos ab infante angues : de hoc scilicet anxius *τί θέλει τὸ τέρας καὶ ὅτι χρὴ ποιεῖν*. Portentis itidem vel somniis turbati parentes Platonis[2], mater Dionysii[3], Agathoclis pater[4], etc... divinos adeunt per quos sortis puerorum quasi inviti certiores fiunt; Evagorae patrem Cypriorum regis simili modo se gessisse, ex eis quae scribit Isocrates coniectari potest[5]. Vaticinium de Socrate, a Plutarcho solo memoratum, scriptoris verba suadent ut quaerenti patri *quomodo puer educandus* editum esse credamus[6]. Alia de Archilocho[7], de Euripide[8], etc..., apud seriores scriptores relata, quatenus parentes directis verbis expetiverint vel expetivisse putandi sint,

[1] *Ol.*, VI, v. 37-38 : ἀλλ' ὁ μὲν Πυθῶναδ', ἐν θυμῷ πιέσαις χόλον | οὐ φατὸν ὀξείᾳ μελέτᾳ, ὤχετ' ἰὼν μαντευσόμενος ταύτας περ' ἀτλάτου πάθας.

[2] Cicer., *de Divinatione*, I. 36.

[3] *Ibid.*, I. 20.

[4] Diod., XIX. 2. 2-3.

[5] Isocr., *Evagoras*, 9 : περὶ οὗ τὰς μὲν φήμας καὶ τὰς μαντείας καὶ τὰς ὄψεις τὰς ἐν τοῖς ὕπνοις γενομένας, ἐξ ὧν μειζόνως ἂν φανείη γεγονὼς ἢ κατ' ἄνθρωπον...

[6] Plut., *De genio Socratis*, 20 :... ὥσπερ ὁ δοθεὶς ἔτι παιδὸς ὄντος αὐτοῦ (sc. Socratis) τῷ πατρὶ χρησμὸς ἀπεθέσπισεν· ἐᾶν γὰρ αὐτὸν ἐκέλευσεν ὅτι ἂν ἐπὶ νοῦν ἴῃ πράττειν, καὶ μηδὲ βιάζεσθαι μηδὲ παράγειν ἀλλ' ἐφιέναι τὴν ὁρμὴν τοῦ παιδός, εὐχόμενον ὑπὲρ αὐτοῦ Διὶ ἀγοραίῳ καὶ Μούσαις, τὰ δ' ἄλλα μὴ πολυπραγμονεῖν περὶ Σωκράτους, ὡς κρείττονα δήπουθεν ἔχοντος ἐν αὑτῷ μυρίων διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν ἡγεμόνα πρὸς τὸν βίον.

[7] Euseb., *Praepar. evangel.*, V. 33.

[8] *Ibid.*

Digitized by Google

non liquet. Adeo ut Graecos quaesivisse quid proprios liberos maneret unico mihi testimonio probetur, et illo quidem incerto, quod praebet Plutarchus (*De Pythiae oraculis*, § 19), talia enarrans : Δεινομένους δὲ τοῦ Σικελιώτου μαντευομένου περὶ τῶν υἱέων, ἀνεῖλεν ὡς οἱ τρεῖς τυραννήσοιεν· ὑποτυχόντος δὲ τοῦ Δεινομένους· « οἰμωξόμενοί γε, ὦ δέσποτ' Ἀπολλόν »; « Καὶ τοῦτό σοι δίδωμι » προσαναιρεῖ.

Ad vaticinia tandem devenio gentis vel urbis vel regni fortunam praenuntiantia. — Quae ex his civitatis cuiusdam universam sortem complectuntur vel perpetuas dotes pollicentur, opulentiam, salubritatem, intemerabilem libertatem, plerumque narrantur colonis edita fuisse quaerentibus ubi sedes statuerent[1]. Vaticinia Dodonaea quibus Athenarum τύχη optima praedicabatur plane ignoramus quando prolata fuerint, et quid sciscitatis Atheniensibus edita[2]. — De his vero quae ad urbium exscidium spectant idem valet quod de oraculis ad hominum mortem spectantibus : saepe enim ita conflata sunt ut non quaerentibus inaniter quid eventurum esset, sed percontantibus quae devitanda essent, edita esse videantur[3]; spatium autem temporis genti vel regno concessum haud crebro dei praenuntia-

[1] Cf. oracula de Cyrene (Herod., IV. 159), de Crotone et Syracusis (Strab., VI. 2. 4), de Tarento (Diod., VIII. 21. 3), de Sardinia (Diod., IV. 30. 4; V. 15. 3), etc... Thuriorum quoque colonis non urbis fortunam Pythia praedixit, sed locum monstravit ubi sedes suas collocarent (Diod., XII. 10. 5; cf. Busolt, *Griech. Gesch.*, III. 1, p. 530).

[2] Dem., *pro Corona*, § 253. — Theseus apud Plutarchum (*Thes.*, 24), qui περὶ πόλεως consuluisse dicitur et responsum illud accepisse : ἀλλὰ σὺ μή τι λίην πεπονημένος ἔνδοθι θυμὸν | βουλεύειν· ἀσκὸς γὰρ ἐν οἴδματι ποντοπορεύσει, rogavisse existimandus est num quas constituerat leges observare Atheniensibus expediret.

[3] Cf. oracula de Messena (Paus., IV. 20. 1), de Libethra (IX. 30. 9), de Niniva (Diod., II. 26. 9), etc.

Digitized by Google

visse dicuntur[1]; nunquam, quantum scio, nisi sponte sua[2]. — Aliorum vaticiniorum quae quondam de diversissimis eventibus circumlata fuerunt, de bellis, de cladibus aut victoriis, de pestilentiis, de civilibus discordiis, etc..., multa scriptores *chresmologis* tribuunt qui non rogati vaticinia fudisse credebantur, Musaeo, Bacidi, Lysistrato, Sibyllae; reliqua, sive originis incertae, sive etiam *manteiis* adscripta, frequentissime talia sunt quae vix unquam aliquis animum inducere potuerit ut propria percontatione peteret; nisi credas Athenienses, nulla data ansa, nescio unde quaesivisse num Sirim olim condituri essent[3], aut ex Sicilia magnam gloriam reportaturi[4], aut Doriénse bellum et simul pestem perpessuri[5], etc..., aut in universum postulasse quemquam ut rerum futurarum annales ante eventum ipsi panderentur[6]. Et nonnulla quidem illius generis oracula scriptores diserte testantur quibusdam edita fuisse rogantibus quid agendum esset (*τί χρὴ ποιεῖν*) : velut oráculum quo praedicebatur Ceressam tunc

[1] Cf. oracula de Mermnadis (Herod., I. 13), de Battiadis (IV. 163), de Cypselidis (V. 92), de Orthagoridis (Diod., VIII. 26).

[2] Siphniis, Sybaritis, cum sciscitarentur εἰ αὐτοῖσι τὰ παρέοντα ἀγαθὰ οἷά τέ ἐστι πολλὸν χρόνον παραμένειν (Herod., III. 57), vel μεχρὶ τίνος εὐδαιμονήσουσι (Athen., p. 520 A), minus cordi fuit constitutum proprii exscidii tempus praecognoscere quam scire quomodo exscidium devitare possent.

[3] Herod., VIII. 62 : τὰ λόγια λέγει ὑπ' ἡμέων (Themistocles scilicet loquitur) αὐτὴν δέειν κτισθῆναι.

[4] Plut., *Nicias*, 13 : ἐκ δή τινων λογίων προὔφερε (Alcibiades παλαιῶν μέγα κλέος τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ Σικελίας ἔσεσθαι.

[5] Thucyd., II. 54. 2 : ἀνεμνήσθησαν καὶ τοῦδε τοῦ ἔπους, φάσκοντες οἱ πρεσβύτεροι πάλαι ἄδεσθαι « ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ ».

[6] A quo et quibus verbis expetitum « Pythicum » illud oraculum (Πυθικὸν χρησμόν, v. 1229) Aristophanes sibi finxerit, quo praenuntiatum in *Equitibus* (v. 128 sq.) narrat plebicolarum atticorum ordinem, mihi quidem prorsus dubium est.

Digitized by Google

demum expugnatum iri postquam Dorienses magna clade affecti fuissent (quod Epaminondae aetate evenit) compluribus saeculis antea Thessalis editum Pausanias (IX. 14. 1) refert, rogantibus quo modo oppidum, quod iam diu obsessum tenebant, feliciter tandem expugnare possent. Inanis contra venturorum curiositatis, quali indulsisse legimus nonnullos posteriores, sciscitantes (ut exemplis utar) quis ex tribus aemulis, Septimo Severo, Pescennio Nigro, Clodio Albino, imperio potiturus esset, vel quis post Septimum Severum regnum adepturus[1], in antiquioribus monumentis graecis testimonia non exstant.

Ne multa, summatim existimanti videntur percontationes ad formam *Quid fiet?* referendae apud Graecos veteres non ita frequentes fuisse.

* * *

Superest ut breviter ostendamus quatenus Graeci ad cognoscenda praesentia vel praeterita divinatione usi sint.

Cadmus, Europam sororem quaeritans, ex oraculo sciscitatur ubi terrarum puella lateat[2]; Minos de Glauco Polyidum rogat, qui pueri cadaver in mellis dolio reperit[3]; Aristomenes, amisso clypeo, ad Pythiam confugit cuius

[1] Cf. Wolff, *De novissima oraculorum aetate*, p. 6.

[2] Apollod., III. 4. 1, Hellanicum ut videtur secutus.

[3] Apollod., III. 3. 1. Fabula a tragicis v[i] saeculi tractata; cf. Welcker, *Griech. Tragödien*, II, p 769.

Digitized by Google

consilio postea Trophonium adit[4]; Agis quidam, cetera ignotus, Dodonae de pulvinis culcitisque percontatur quae ipse amisit vel aliquis furto subripuit[5]; etc. Vides Graecos a divino libenter postulavisse ut, si quid ex ipsorum oculis fugerat, quasi digito rursus indicaret. Nonnunquam vero id quoque quaerebant, unde sibi certa quaedam rara comparare possent: Lacedaemonii, auro indigentes quo Apollinis faciem in Thornace monte deaurarent, Delphis percontantur παρ' οὗ χρύσιον πρίαιντο[1]; iidem, Orestem Spartam reportare iussi, oraculum rogant τὸν χῶρον ἐν τῷ κέοιτο Ὀρέστης[2]; haud aliter Orchomenii, quibus Pythia edixerat nullum fore pestilentiae remedium nisi ex Naupacto ossa Hesiodi in patriam suam transtulissent, protinus inquirunt ὅπου τῆς Ναυπακτίας αὐτὰ ἐξευρήσουσι[3]. Illis subiciamus quae de Laio, de Creusa, de Helena, de Menelao, Euripides narrat, oracula vel vates interrogantibus num adhuc viveret Oedipus, Ion, Menelaus, Agamemno[4]; hoc tamen notantes, in comoediis quas Romani a graecis fabulis expresserunt nullum inter multos seu liberos parentibus raptos seu parentes pueris orbatos tali modo divinationem adhibere.

Hactenus de divinatione ad praesentium scientiam spectante. Exemplorum vero quibus demonstratur de praeteritis etiam Graecos consuluisse, agmen ducant Dodonaeae tabellae duae; quarum in una Lysanias rogat

[1] Pausan., IV. 16. 4.

[2] Collitz, 1586.

[3] Historia, quam Theopompus narrat (fr. 219 Did.), forsitan Herodoto iam innotuerit (I. 69).

[4] Herod., I. 67.

[5] Pausan., IX.38. 3.

[1] *Phoeniss.*, v. 36-37; *Ion*, v. 346; *Hel.*, v. 317 sq.; *Or.*, v. 360 sq.

Digitized by Google

sitne ex ipso conceptus puer quem Annyla in utero gerit[1]; in altera, si Hoffmanno credimus, nescio quis sciscitabatur num suadente quodam cuius nomen pariter periit Aristolaus certum πινάκιον obsignare omisisset[2]. Cum priore harum tabellarum conferendi sunt et locus Herodoteus ubi legimus Lacedaemonios, circa originem Demarati regis controversia inter cives orta, Delphis sciscitatos esse εἰ Ἀρίστωνος εἴη παῖς ὁ Δημάρητος (IV. 66), et *Ionis* Euripidei versus 1547-1548 :

> ἀλλ' ἱστορήσω Φοῖβον εἰσελθὼν δόμους
> εἴτ' εἰμὶ θνητοῦ πατρὸς εἴτε Λοξίου.

A talibus proxime abest quod Oedipus Euripideus rogare cogitaverat τοὺς φύσαντας ἐκμαθεῖν θέλων (*Phoeniss.*, v. 34-35); vel quod de Telepho apud Apollodorum et Diodorum ex antiquioribus auctoribus narratur[3]. Xuthum poenitet a Loxia non inquisivisse e quanam femina Ionem olim procrearit[4]. Aristonis uxor vates interrogat ut sciat quem virum, mariti ora ferentem, in cubile falsa Aristonis loco receperit[5]. Amphitryonem Tiresias docet cum quo Alcmena inscia adulterium castum admiserit[6]. Plato in *Civitate* (p. 461 E), quos adulescentes mares feminasque ex eisdem parentibus genitos fuisse pro aetate verisimile est, matrimonium inter se contrahere vetat nisi

[1] Collitz, 1565.

[2] Collitz, 1578.

[3] Apollod., III. 9. 1 : ζητήσας τοὺς γονέας, ἦκεν εἰς Δελφούς. Καὶ μαθὼν παρὰ τοῦ θεοῦ...; Diod., IV. 33. 1 : Τήλεφος... τὴν μητέρα μαθεῖν σπεύδων παρῆλθεν εἰς Δελφούς... Rem paulo aliter narraverat Demon (fr. 20 Did.) : μαντευομένῳ γὰρ αὐτῷ περὶ γονέων, ἐπὶ τίνας ἂν τόπους πλανηθεὶς ἐξεύροι τοὺς αὑτοῦ γονεῖς...

[4] Eurip., *Ion*, v. 540-541.

[5] Herod., VI. 69.

[6] Apollod., II. 4. 8.

Digitized by Google

ὁ κλῆρος ταύτῃ συμπίπτῃ καὶ ἡ Πυθία προσαναιρῇ; deis nimirum permittens ut, quos revera germanos esse discernant, ab incestu prudentes arceant. Etc...

Inter litium vero instrumenta divinationem apud Graecos receptam fuisse, quemadmodum apud alios populos frequentem cum Graecis consuetudinem exercentes, — Scythas et Aegyptios[1] —, non facile ego crediderim. Sontium indagationem deis divinisve perraro commissam videmus, et sane, quod sciam, in mythicis tantum temporibus[2]: velut apud Sophoclem Tiresiam Oedipus arcessit qui Laii occisorem prodat[3], aut apud Proxenum Dodonaeus quidam Iovem percontatur quis agnam sibi furatus sit[4]. Neque ut reos convincerent vel testimoniorum fidem explorarent divinationem vulgo usurpabant. Hippolytus quidem apud Euripidem (*Hipp.*, v. 1055-1056) Theseum obiurgat quod οὐδ' ὅρκον οὐδὲ πίστιν οὐδὲ μάντεων φρένας ἐλέγξας ἄκριτον filium exsilio mulctet, quam obiurgationem verbis fere eisdem Diana infra iterat (v. 1321); sed mihi parum lucidum est, quem ad finem

[1] Apud Scythas cum rex aegrotaret, divini, teste Herodoto (IV. 98), profiteri solebant quis, per focum regium periuria iurando, morbum illi attulisset. Apud Aegyptios ex Herodoto (II. 174) compertum habemus reos furti accusatos ad oracula vocatos fuisse quibus vel convincerentur vel dimitterentur : de qua consuetudine videas papyraceum titulum in Britannico Museo servatum, quem edidit et transtulit Pleytius (*Proceed. of the Society of Biblical Archeology*,X, p. 41 sq.)

[2] Alius generis est Alexandri apud Ammonem percontatio : τοὺς Φιλίππου φονεῖς εἰ πάντας εἴη τετιμωρημένος (Plut., *Alex.*, 27). Non rogatus Hercules Sophocli per somnium aperit quis Minervae coronam furatus occulat (Vit. Soph., 6. Apud Ciceronem, *De divinat.*, I. 54, de patera agitur ipsius ex Herculis aedibus surrepta).

[3] Soph., *Oed. R.*, v. 300 sq.

[4] Schol.Odyss., XIV, 327.

Digitized by Google

Theseus τὰς μάντεων φήμας tentare debuerit, utrum scilicet ad filii culpam comprobandam an ad iustam poenam statuendam; interdum enim audimus de poena a diis consilium peti : sat sit memorare quae lib. VI cap. 135 Herodotus narrat, post Parum a Miltiade lacessitam rogasse Parios εἰ καταχρήσονται τὴν ὑποζάκορον τῶν θεῶν ὡς ἐξηγησαμένην τοῖσι ἐχθροῖσι τῆς πατρίδος ἅλωσιν, vel quae circa Phemandrum Mantineus titulus iubere videtur[1], aut circa theorum aliquem Polemo apud Athenaeum refert[2], — vel potius[3] quae Plato in eos decernit quicumque effossum thesaurum clanculum sibi assumpserint (*Leg.*, p. 914 A) : δηλωθέντων δέ, ἡ πόλις εἰς Δελφοὺς πεμπέτω· ὅτι δ' ἂν ὁ θεὸς ἀναιρῇ περὶ τῶν χρημάτων καὶ τοῦ κινήσαντος, τοῦτο ἡ πόλις ὑπηρετοῦσα ταῖς μαντείαις δράτω τοῦ θεοῦ. Quod vero suadet Euxenippi patronus ut mendacio abstinuisse reum appareat, — εἰς Δελφοὺς πέμψαντα πυθέσθαι παρὰ τοῦ θεοῦ τὴν ἀλήθειαν—[4], non in quavis causa, puto, suasisset : insolenti testimonio aptus videbatur insolens modus comprobandi. Nec talia experimenta quale unum referunt versus illi Sophoclei (*Antig.*, v. 264 sq.) :

[1] BCH, XVI (1892), p. 583, l. 14 [Ϝο]φλέοι [ἄ]ν χρεστέριόν κ[α κρ]ινε̃ι, quae verba sic vertit Homollius (*ibid.*, p. 595): « il devra ce que l'oracle aura prononcé »; cf. p. 582 : « le châtiment est fixé *par une sentence divine* et par une sentence humaine, *par la déesse* et par des juges ».

[2] Ath., p. 606 B : ἐν Δελφοῖς ἐν τῶν πινάκων (Σπινατῶν ?) θησαυρῷ παῖδές εἰσιν λίθινοι δύο, ὧν τοῦ ἑτέρου Δελφοί φασι τῶν θεωρῶν ἐπιθυμήσαντά τινα σύγκατακλεισθῆναι καὶ τῆς ὁμιλίας [μισθὸν] καταλιπεῖν στέφανον. Φωραθέντος δ' αὐτοῦ τὸν θεὸν χρωμένοις τοῖς Δελφοῖς συντάξαι ἀφεῖναι τὸν ἄνθρωπον· δεδωκέναι γὰρ αὐτὸν μισθόν.

[3] De Timone enim, utpote dearum antistite, de Phemandro, qui in ipsam Minervam peccaverat, de theoro, qui deis dicata quaedam polluerat, deos consulere suadebat iudicii genus.

[4] Hyper., *pro Euxenippo*, 15.

Digitized by Google

ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν
καὶ πῦρ διέρπειν καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
τὸ μήτε δρᾶσαι μήτε τῷ ξυνειδέναι
τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι μηδ' εἰργασμένῳ,

forensis Graecorum consuetudo admittebat[1]. Quae, si admisisset, libenter se subituros sine dubio declarassent et Andocides, ubi sanctitatem suam ex eo comprobare studet quod non invitis deis tot et tanta maris pericula feliciter semper effugerit[2], et Helus ille pro quo verba fecit Antiphon, ubi tanta vi extollit saepe evenisse ut quam inscendisset impurus in perniciem navis traheretur, ut adstante impuro perlitari nullo modo posset, se vero quandocumque navigationem quamdam susceperit secundo cursu usum esse, nec unquam sacris interfuisse ubi non fuerit perlitatum optime[3].

Mixtum quemdam usum divinationis, ad futura simul et praesentia praeteritave spectantem, exhibent loci sat multi ubi de portento quodam quid sit et quid velit, vel de calamitate unde sit exorta et quo pacto removeri queat, uno eodemque tempore quaeritur. Sed manifestum est tunc priorem partem percontationis nil esse nisi alterius, ut ita dicam, prooemium ; quod idem valet de locis nonnullis in quibus alteram scriptor praeteriit, utpote quam

[1] Quanquam quorumdam locorum peculiares usus non ignoro, velut Aegensium in creatione antistitum Telluris (Pausan., VII. 25 ad fin).

[2] Andoc., *de Mysteriis*, § 137 sq., inprimis § 139 ad fin.

[3] Antiph., *de caede Herodis*, § 81-85. Enota praesertim haec verba in universum, ut videtur, dicta : χρὴ δὲ καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν θεῶν σημείοις γενομένοις εἰς τὰ τοιαῦτα οὐχ ἥκιστα τεκμηραμένους ψηφίζεσθαι (§ 81), quibus de aliorum σημείων usu legitimo (talium scilicet quae inter ipsam quaestionem iudex exploravisset) vetamur, ni fallor, cogitare.

Digitized by Google

lector sibi facile suppleret[1]. Talia igitur exempla, meo iudicio, hic vix in censum veniunt.

In universum vero considerantibus cur de praesentibus aut de praeteritis veteres Graeci consuluerint, apparet illos plerumque vel tunc certa commoda in crastinum diem consectatos esse. Percontationes quales multas tulit aetas posterior, merum veritatis studium prodentes scientiaeque gratuitum amorem[2], ante Alexandrum, immo ante Christum paucas deprehendas. Apud Atticos saltem scriptores nullum ego exemplum inveni, nisi respicere velis Platonicum illum locum e *Legibus* (p. 662 CD) ubi Socrates ex deis quaerere cogitat ἆρ' ὁ δικαιότατός ἐστι βίος ἥδιστος ἢ ὁδί' ἐστόν τινε βίω, οἷν ὁ μὲν ἥδιστος ὢν τυγχάνει, δικαιότατος δ'ἕτερος; Chaerephon, quem Plato Xenophonque narrant Pythiam interrogavisse quis Socrate esset prudentior[3]; Aegienses (vel Megarenses), quos fortasse iam Ion, certe III[i] saeculi scriptores sciscitatos esse referebant τίνες εἶεν οἱ κρείττους τῶν

[1] Sic Metapontini apud Herodotum (IV. 15), quos Aristeae idolon vexabat, rogavisse tautummodo dicuntur ὅτι τὸ φάσμα τοῦ ἀνθρώπου εἴη; Cnidii, cum isthmum urbi vicinum perforare nequirent, Delphos misisse theoros ἐπειρησομένους τὸ ἀντίξοον; etc.

[2] Hadrianus imperator Delphis sciscitatur πόθεν Ὅμηρος καὶ τίνος (Certamen Hom. et Hes., p. 5 ed. Nietzsche); nescio quis Colophone quaerit « quis sit (Apollo) aut quid sit omnino deus » (Lact., I. 7); alius, « quis deorum habendus sit qui vocatur Iao » (Macrob., *Saturn.*, I. 18. 19); alius, περὶ τῆς ψυχῶν διαγωγῆς μετὰ τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ἔξοδον (Stob., *Ecl. phys.*, I, 41. 46); etc... Eiusdem generis plura invenies in Wolffii et Bureschii operibus (Wolff, *De novissima oraculorum aetate;* Buresch, *Klaros*, praesertim in appendice χρησμοὺς τῶν ἑλληνικῶν θεῶν continente) et in Maximi Tyrii *Dissertationibus* (XVII. 6 ad fin.; XLI. 1 init., 2 init., 3 init.; XXXV. 7; etc...)

[3] Plat., *Apol.*, p. 21 A; Xen. (?), *Apol.*, § 14. Cf. Pomtow, *De oraculis quae exstant graecis trimetro iambico compositis*, Diss. Berolini, 1881, p. 16-17.

Digitized by Google

Ἑλλήνων[1]; dives ille Thessalus aut Magnes, quem apud Theophrastum[2] et Theopompum[3] quaerentem videmus quis deos gratissimis honoribus coleret, non tam curiositati obsequebantur quam amicitiae aut arrogantiae. Epimenidem Cretensem ex Pythia percontatum esse num revera Delphi orbis terrarum in medio starent, solus Plutarchus asserit nescio unde edoctus[4]; Nicocreontem Cyprium ex Sarapide quaesivisse « quis deorum haberetur », solus Macrobius[5]; Alexandrum Ammone esse sciscitatum ὁπόθεν ὁρμηθεὶς (ὁ Νεῖλος) ἐπὶ Αἰγύπτου κάτεισι, solus quantum scio Maximus Tyrius[6]. De Apollophanis Arcadis aetate quem Pausanias (II. 26. 6) rogavisse refert εἰ γένοιτο ἐξ Ἀρσινόης Ἀσκλήπιος καὶ Μεσσηνίας πολίτης εἴη, nihil certi compertum habemus.

[1] Mnaseae Patrensi verba quae graece transcripsi apud Suidam s. v. ὑμεῖς tribuuntur. Quibus verbis percontatos Aegienses (vel Megarenses) putaverint antiquioris aetatis scriptores quos oraculi conscios fuisse apparet (Suid., *l. l.*; cf. Hendess in *Diss. philol. Halens.*, V. 1, p. 9), incertum est.

[2] Cf. Bernays, *Theophrastos' Schrift über Frömmigkeit*, p. 65.

[3] *Ibid.*

[4] *De defectu oraculorum*, § 1.

[5] *Saturn.*, I. 20. 16.

[6] *Dissert.*, XLI. 1 init.

Digitized by Google

II

QUOMODO APTUM RESPONDENDO GRAECI DEUM SIBI FINXERINT

Quomodo respondendo aptum Graeci deum[1] sibi finxerint, brevissime nobis examinandum est. Ad nostrum enim officium haudquaquam pertinet placita philosophorum exponere, perpendere, inter se conferre[2]; hoc tantum interest, quid de re senserint plerique; huius rei vero pauca monumenta exstant, quin et admodum credibile videtur firmam opinionem multis non praesto fuisse.

Quae sunt, quae fuerunt[3], omnia ad unum a deo statim deprehendi, v° et iv° saeculis non cuncti quidem pro certo habebant : — argumento est quod scripsit Xenophon[4] : οὗτοι μὲν γὰρ (scil. οἱ πολλοί) οἴονται τοὺς θεοὺς τὰ μὲν εἰδέναι, τὰ δ' οὐκ

[1] Cum tot apud Grœcos dei heroesve vaticinantes exstiterint, merito quis forsitan in singularem numerum, quo utor, offenderit. At ego in hoc capitulo oracula inprimis respexi ubi vel ipse rex deorum vel patris interpres Apollo respondere credebatur.

[2] Opus absolvit Bouché-Leclercq, *Histoire de la divination dans l'antiquité*, I, p. 14-92.

[3] τὰ γεγενημένα καὶ τὰ ὄντα (Xen., *Cyrop.*, I. 6. 46).

[4] *Memor.*, I. 1. 19.

Digitized by Google

εἰδέναι· Σωκράτης δὲ πάντα μὲν ἡγεῖτο θεοὺς εἰδέναι, τὰ δὲ λεγόμενα καὶ πραττόμενα καὶ τὰ σιγῇ βουλευόμενα —; multis tamen placuisse illam sententiam cui Socrates adstipulabatur, ex locis non paucis elucet quos Naegelsbachius congessit[3]; ipsumque deum novimus suam ipsius scientiam olim testificatum esse, cum legatis Croesi responderet (Herod., I. 47):

> οἶδα δ'ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης,
> καὶ κωφοῦ συνίημι καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω

Itaque non diu in hoc haerebimus.

Difficilius est statuere quali rerum futurarum scientia Graeci, cum sciscitarentur ὅτι χρὴ ποιεῖν, deum quem rogabant praeditum esse crediderint.

Rogantibus num ipsis liceret certum quoddam bonum attingere iam respondere deus potuisset, si modo futuros eventus historica, ut ita dicam, scientia praecognovisset, nescio quo fato dispositos. Sed non desunt unde intellegas aliam quoque facultatem, facultatem dico futuros eventus disponendi, a plurimis ei tributam fuisse. Athenienses Herodotus narrat, ante pugnam Salamine commissam, Delphis percontatos esse quomodo civitatem suam defendere possent; cum vero Pythia respondisset nullam fore dimicantibus salutem, suadente quodam Delphorum procerum, adyton rursus ingressi sunt deumque sic adloquebantur: Ὦναξ, χρῆσον ἡμῖν ἄμεινόν τι περὶ τῆς πατρίδος, αἰδεσθεὶς τὰς ἱκετηρίας τάσδε τάς τοι ἥκομεν φέροντες (VIII. 141). Quid vero? Certe non credebant a deo falsa pro veris antea nuntiata esse; poposcisse ergo putandi sunt ut rerum futurarum ordo in melius immutaretur. Idem de ducibus

[3] *Nachhomerische Theologie*, p. 23-24.

Digitized by Google

valet quos passim videmus iteratis sacris voluntatem dei explorantes[1], idem de omnibus quicumque, postquam acceperant responsum infelix, percontari tamen sine intermissione pergebant. Quin et multis, nondum repulsa accepta, visum est a deo non tantum quaerere num hoc vel illud attingere possent, sed protinus poscere ut hoc vel illud ipsis concederet : attende ad usum vocabuli αἰτεῖν, a scriptoribus variis de tali re saepe adhibiti[2]; cui, ex parte dei, respondet verbum διδόναι[3]. Graecos vides, cum sciscitarentur num certum quid attingere possent, non modo cavisse ne, bonum iam prius prohibitum appetentes, operam frustra consumerent; sed hoc inprimis studuisse, ut de re adhuc incerta deum statuere cogerent illisque pacisci quid appetentibus concessurus esset.

Quaerentibus vero quomodo percontanti cuidam εἰ ποιητέον respondere deus potuerit, nescio an quae modo disputavi aliquid lucis afferant. Persaepe docti animadverterunt vix licuisse deo futura praecognoscere nisi haec fixa fuissent et necessaria; hominem autem frustra quaesivisse numquid agens vitam felicem degeret, si quae illum manebant necessaria et fixa fuissent[4]. Una via patet, quam

[1] Cf., exempli gratia, Herod., IX. 60-61 (= Plut., *Arist.*, 17-18); Xen., *Anab.*, VI. 4. 16 et 19; etc. — Dignum quod attendas, quomodo scriptores nonnunquam referant ἐπὶ τοῦ πρώτου ἱερείου statim litatum fuisse (Xen., *Anab.*, VI. 5. 2 et 8; etc.)

[2] Herod., I. 65; 66; Eurip., *Phoeniss.*, v. 16 (cf. schol., arg.); Pausan., IX. 37. 2 (διζήμενος) ; etc.

[3] Herod., I. 65; 66; IV. 163; V. 67; VII. 141; Schol. Eurip. *Phoeniss.*, arg.; Diod., IV. 12. 7; VIII. 17. 1; 21. 3; etc... Cf. Hendess, *Untersuchungen über die Echtheit einiger delphischer Orakel* Progr. Guben, 1882, p. 6-7.

[4] Cf. Cicer., *De divinatione*, II. 8 ad fin. : « Si fato omnia fiunt, nihil nos admonere potest ut cautiores simus; quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud quod futurum est; sin autem id

Digitized by Google

ingressus repugnantia conciliare possis : scilicet si putas multiplices rerum futurarum dispositiones a deo comparatas esse, quarum vel una vel altera, prout homo sciens aut insciens elegerit, ad effectum tandem adduci possit. Itane vero plerique v° et iv° saeculis rem sibi expediebant? Ut credamus, fateor, quodammodo suadent verba quibus Xenophon utitur, tunc vulgi ni fallor interpres : *θεοὶ δὲ... πάντα ἴσασι τά τε γεγενημένα καὶ τὰ ὄντα καὶ ὅτι ἐξ ἑκάστου αὐτῶν ἀποβήσεται*[2]. Illis tamen fretus quae supra dicta sunt, de alia explanatione libenter ego cogitaverim. Graeci enim forte non arbitrati sunt quid ex quoque facinore eventurum esset *priusquam rogarent* iam esse decretum, sed ideo deum interrogaverunt ut facultatem ei abriperent *postea* improvisum quicquam per libidinem decernendi ; a deoque non solum exspectaverunt ut illis, tanquam advenis peritus aliquis viarum, indicaret quorsum se vertentes felicissime iter conficerent, sed ut polliceretur, humanarum rerum rector omnipotens, se a semita quam capessere volebant pericula et infortunia utique esse amoturum. Adde quod non minus quam de dei libero arbitrio in futurum quasi constringendo, de divina quoque invidia vitanda consulentes cogitavisse videntur. Deum enim Graecorum scimus suae dignitatis quam maxime tenacem fuisse, ac quicquid homines, proprio ingenio et menti humanae nimium confisi nullaque ipsius ratione habita, incipiebant, dicebant vel meditabantur, in contumeliam statim accepisse. Quemadmodum ergo Croesus Nemesis iracundiam sibi concivisse narratur quod, futuri superbe securus, mortalium felicissimum se ipse pronun-

potest flecti, nullum est fatum ; ita ne divinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum est. »

[2] Xen., *Cyrop.*, I. 6. 46.

Digitized by Google

tiaverat[1], aut Meles posteris ruinam paravisse quod prudentior deo esse voluerat[2], ita illos etiam non modo amentes[3] sed impios putari consentaneum fuit qui sine assensu divino lubricum opus aggrediebantur; ac revera putatos fuisse ex locis quibusdam Herodoti et Xenophontis haud inepte fortasse conicias[4]. Si vero incepta humana ob id ipsum male vertere potuerunt quod homines a deo nihil prius sciscitati erant, tanto incredibilius quid ex quoque eventurum esset ab omni aeternitate deum statuisse.

[1] Herod., I. 34 : ἔλαβε ἐκ θεοῦ νέμεσις μεγάλη Κροῖσον, ὡς εἰκάσαι, ὅτι ἐνόμισε ἑαυτὸν εἶναι ἀνθρώπων ἁπάντων ὀλβιώτατον.

[2] Herod., I. 84.

[3] Xen., *Memor.*, I. 1. 9 : τοὺς δὲ μηδὲν τῶν τοιούτων οἰομένους εἶναι δαιμόνιον, ἀλλὰ πάντα τῆς ἀνθρωπίνης γνώμης, δαιμονᾶν ἔφη.

[4] Herod., V. 42; Xen., *Hellen.*, VII. 1. 27.

Digitized by Google

III

QUALEM PIETATEM PRODAT USUS DIVINATIONIS

Ad pietatem recte aestimandam quam in deos Graeci exercebant, nonnihil interest animadvertere quibus verbis rogare soliti sint ὅτι χρὴ ποιεῖν. In his enim verbis nec crebro nec temere studium apparet secundum divinam voluntatem pio corde utique agendi. Cymaei, quos Herodotus quaesivisse narrat ὁκοῖόν τι ποιέοντες θεοῖσι μελλοῖεν χαριεῖσθαι[1], si tali formula revera usi sunt, facinoris quod meditabantur opprobrium a se reicere et in deos transferre volebant. Aeschyleus Inachus non nisi de privatis ut ita dicam deorum libitis anxius Delphis Dodonaeque rogat τί χρὴ δρῶντ' ἢ λέγοντα δαίμοσιν πράσσειν φίλα[2]. Sine periculo Milesii in titulo quodam[3] sedulum erga Dianam obsequium profitentur (ὁ δῆμος ὁ Μιλησίων ἐρωτᾶι πότερον τῆι θεῶι κεχαρισμένον[ἔσται]...), cum de solis Dianae religione et caerimoniis oraculi decretum exspectent; necnon verbis quae supra rettuli continuo illa adiciunt: καὶ τῶι δήμωι συμφερόντως [ἔξει], eamdem propriae utilitatis curam prodentia quam solemnes formulae εἰ λῷον καὶ ἄμεινόν ἐστι (ἔσται,

[1] Herod., I. 158.
[2] Aesch., *Prom.*, v. 659-660.
[3] Dittenberger, *Sylloge*, 391.

Digitized by Google

γίγνεται) ποιοῦσι κτλ., τί ἂν δρῶσι ἄμεινον εἴη, πως ἂν κάλλιστα καὶ ἄριστα πράττοιεν, κτλ[1].

Quin immo, Graecis adeo non semper cordi fuit deorum ad arbitrium gratuito se accommodare, ut divinum consensum nonnunquam quasi furati sint. Philomelum Diodorus refert nolenti Pythiae olim imperasse ut ipsi a tripode oraculum redderet ; cumque mulier minis perterrita exclamasset ὅτι ἔξεστιν αὐτῳ πράττειν ὃ βούλεται, pro oraculo verba accepisse[2]. Aliquid simile de Alexandro Plutarchus enarrat[3]. Illa quidem parvam fidem habent. Accipe vero quae de aequali, quae de semetipso Xenophon memorat. Agesipolis Lacedaemonius, cum Argivis bellum inferre pararet, de tollendis sacris indutiis Olympiae Iovem consuluit ; ibique accepto responso quale exoptaverat, Delphis Apollinem confestim rogavit « num filius eadem sentiret, quae pater[4] » ; Delphicis sacerdotibus difficile fuit abnuere. Sed ne facultatem quidem abnuendi deo reliquisse Xenophon videtur, cum, Socrate iubente, ante Asiaticum iter Pythicum oraculum adiit : non enim, sicut res ferebat, rogavit num ipsi liceret, qui esset Atheniensis, apud principem se conferre Spartanis maxime faventem, sed quem deorum precibus et sacris itineris patronum sibi conciliaret[5] ; ita ut non posset deus itineri ipsi adversari. Num quidem Xenophon, pius vir et religiosus, conscius

[1] Praeter ἄμεινον, λώϊον, βέλτιον, ἄριστα, κάλλιστα, a consulentibus sexcentiens usurpata, haec vocabula quoque enotavi, a quibus intelligi potest quo animo Graeci consuluerint : ὠφέλιμον, ὄναιον, πολυωφελέστερον, ἀδεῶς, ἥδιον.

[2] Diod., XVI. 27. 1.

[3] Plut., *Alex.*, 14.

[4] Xen., *Hellen.*, IV. 7. 2 : ἐπήρετο αὖ τὸν Ἀπόλλω εἰ κἀκείνῳ δοκοίη περὶ τῶν σπονδῶν καθάπερ τῷ πατρί.

[5] Xen., *Anab.*, III. 1. 7 : ὁ δὲ (sc. Socrates) ἀκούσας ἠτιᾶτο αὐτὸν ὅτι οὐ τοῦτο πρῶτον ἠρώτα, πότερον λῷον εἴη αὐτῷ πορεύεσθαι ἢ μένειν,

Digitized by Google

volensque fraudem admiserit, dubitari potest[1], cum ab ipsis sacerdotibus (ut mox videbimus) formula τίνι κα θεῶν... saepius commendata fuerit, utpote quae officium respondendi facilius redderet ; ex tam multis autem qui illa formula usi sunt nonnullos in commodum suum consulto eam convertisse, a verisimili minime abhorret.

*
* *

Quoniam breviter adumbravimus quo animo Graeci deos interrogaverint, ad alia iam procedamus. Qui per divinationem hominibus operam navare dei non dedignabantur, timendum fuit ne rebus humanis non vocati sese immiscerent. Age videamus quatenus illa facultate uti reipsa eis licuerit.

Privatis vatibus Graecos v[i] vel vi[i] saeculi docilem aurem praebuisse tanquam ex parte deorum minas, iussa, vetita fundentibus, iam ex eis parum credibile est quae apud tragicos scriptores eveniunt. In *Antigone* enim Sophoclea Tiresias, sua sponte Creontem hortatus (v. 988 sq.), mendax et cupidus protinus a rege audit (v. 1045-1047, 1055, 1059, 1061) ; in *Oedipo Rege* et in Euripidis *Phoenissis*, non nisi vehementer etiam atque etiam interrogatus[2] idem vates aperit cuius exsilio deorum ira placanda sit, cuius nece civitatis salus comparanda ;

ἀλλ' αὐτὸς κρίνας ἰτέον εἶναι τοῦτ' ἐπυνθάνετο, ὅπως ἂν κάλλιστα πορευθείη (cf. supra, III. 1. 6 : τίνι ἂν θεῶν θύων καὶ εὐχόμενος κάλλιστα καὶ ἄριστα ἔλθοι τὴν ὁδὸν ἣν ἐπινοεῖ).

[1] Cf. quae scripsit Pomtowius, *Neue Jahrbücher*, CXXVII (1883), p. 359.

[2] Soph., *Oed.R.*, v. 320-345; 432 (οὐδ' ἐκόμην ἔγωγ' ἄν, εἰ σὺ μὴ ἐκάλεις) ; Eurip., *Phoeniss.*, v. 891-903.

Digitized by Google

qui ne ita quidem corruptelae crimine immunis et a poenis securus videtur[1]. Sed non diu in hoc haerebimus, cum testimoniis multis comprobetur avaritiae opinione et malae ambitionis privatos vates laborasse. Satius oraculorum auctoritatem perpendere, in quibus deum ipsum putabant loqui per antistites.

Oracula autem non nisi interrogata loquebantur. Haudquaquam enim nos fallere debent quae passim apud scriptores legimus : ἦλθε δέ οἱ μάντευμα (Pind., *Pyth.*, IV, v. 73), ἐλθεῖν οἱ μαντήιον ἐκ Βουτοῦς (Herod., II. 133), Ἀθηναίοισι... ἦλθε μαντήιον ἐκ Δελφῶν (V. 89), ἐλθόντος σφι χρηστηρίου (VII. 189), χρηστήριον ἐληλύθεεν ἐκ Δελφῶν Λακεδαιμονίοισι (VIII. 114), χρησμὸς γὰρ ἦλθε Λαΐῳ ποτέ (Soph., *Oed. R.*, v. 711) et similia, unde quis forsitan de vaticiniis non quaesitis cogitare possit; nam interdum ex verbis quibusdam vicinis lucidissime apparet de responsis agi per theoros ad eum relatis qui consulere decreverat ; exemplo sint hi loci quales facile multos reperias : ὁ δ' ἔς τε Πυθὼ καὶπὶ Δωδώνης πυκνοὺς θεοπρόπους ἔλλεν..., τέλος δ' ἐναργὴς βάξις ἦλθεν Ἰνάχῳ (Aesch., *Prom.*, v. 658-659); Κροῖσος... ἔς τε τὰ χρηστήρια ἔπεμπε... καὶ δὴ καὶ ἀπικομένου χρησμοῦ κιβδήλου... (Herod., I. 75) ; πέμψαντι δέ οἱ (Psammeticho) ἐς Βουτοῦν πόλιν ἐς τὸ χρηστήριον τῆς Λητοῦς... ἦλθε χρησμός... (II. 152) ; οὐδέ σφεας (Athenienses) χρηστήρια φοβερὰ ἐλθόντα ἐκ Δελφῶν... ἔπεισεν ἐκλιπεῖν τὴν Ἑλλάδα... Πέμψαντες γὰρ... ἐς Δελφούς... (VII, 139-140); etc... Quod vero Herodotus narrat (VI. 19) Pythiam absentes Milesios olim increpuisse et coram solis Argivis de proxima Mileti pernicie dixisse, et ipsi scriptori (ut opinor) inauditum quiddam videbatur et interpretibus vero dissimile visum est ; quem ad locum

[1] *Oed. R.*, v. 378, 387-389, 525-526, 572-573, 705 ; *Phoeniss.*, v. 891, 958-959.

Digitized by Google

Schubringius recte adnotavit : « non esse Pythiae, nullo rogante, praecepta et consilia divina absentibus temere edere[1] ». Si quid enim cuiquam per oracula imperare aliquando deis libuisset, hic modus eis observandus fuit ut illum portentis, somniis, vel quibusvis admonitionibus ad *manteion* prius compellerent[2]. — Neque illud magni existimo, Pythiam interdum consulentes allocutam esse priusquam interrogata sit[3] ; nam cum de his ipsis eos

[1] Schubring, *De Cypselo tyranno*, Diss. Göttingiae, 1862, p. 55. Num recte idem *(l.l.)* coniecerit duo oracula, Milesiis et Argivis data (Herod., VI. 19 et 77), Herodotum propterea in unum confudisse quod illa, ad eosdem annos spectantia, in quodam *Corpore* coniuncta invenisset, in dubio relinquo. Oblocutus est Benediktus *(De oraculis ab Herodoto commemoratis*, Diss. Bonnae, 1871, p. 5-6), argumentis, ut mihi videtur, satis validis allatis.

[2] Mirum, quomodo deorum iussa heroumve, somniis, vocibus, spectris, vel lucidissime declarata, Graeci nihilominus pro irritis saepe habuerint, donec a cuiusdam oraculi sede accurate de re quaesiverint. Pelias, quem Phryxus per somnium iusserat auream pellem a Colchis referre, mandata persequi prius non aggreditur quam Pythiam interrogaverit num somnio quicquam tribuendum (Pind., *Pyth.*, IV, v. 163). Inachus, de filiae ἐννύχοις ὄψεσι certior factus quibus illa sine ambagibus, nec semel, iussa fuerat Lernaea prata adire ubi Iovis cupidinem expleret, Delphis tamen et Dodonae rogat τί χρὴ δρῶντ' ἢ λέγοντα δαίμοσιν πράσσειν φίλα (Aesch., *Prom.*, v. 659-660). Metapontini, quibus Aristeae spectrum aperte imperaverat Apollini aram exstruere et ipsi Aristeae statuam, necnon adiciens cur deo et heroï tales honores rependere deberent, Pythiam incerti adeunt ut sciant ὅτι τὸ φάσμα τοῦ ἀνθρώπου εἴη (Herod., IV. 15). Plura exempla congerere supersedeo. Vides improvisa numimum mandata suspiciose Graecos accepisse, segniter et parce (ut ita dicam) exsecutos esse.

[3] Herod., I. 65 : Λυκούργου..ἐλθόντος ἐς Δελφοὺς ἐπὶ τὸ χρηστήριον, ὡς ἐσήϊε ἐς τὸ μέγαρον, ἰθὺς ἡ Πυθίη λέγει τάδε... ; V. 92. 2 : ἐσιόντα δὲ αὐτὸν (Eetionem) ἰθέως ἡ Πυθίη προσαγορεύει τοῖσιδε τοῖς ἔπεσι.. ; VII. 140 : χρηστηριάζεσθαι ἦσαν ἑτοῖμοι, καί σφι ποιήσασι περὶ τὸ ἱρὸν τὰ νομιζόμενα, ὡς ἐς τὸ μέγαρον ἴζοντο, χρᾷ ἡ Πυθίη... τάδε... ; etc. Non tamen praetermittere velim, eisdem fere verbis quae I. 65, V. 92 legimus in alio loco Herodotum uti,

Digitized by Google

alloqueretur de quibus rogaturi erant[1], etiamtunc quae proferebat pro responsis accepta fuerunt; tantum quod, quid vellent homines, non ex ipsorum ore audivisse, sed (ut ita dicam) in imo pectore quasi scripta legisse putabatur[2]. — Quin, ne de suis quidem negotiis, de templis, de sacris, de donariis, quid censerent dei ultro declarabant : Pausanias in *Phocicis*, postquam narravit Persicas exuvias a Themistocle oblatas Pythiam repudiavisse, talia subiungit : *θαῦμα οὖν ἐποιούμεθα εἰ ἀπηξίωσεν ἐκείνου μόνου μὴ προσέσθαι τὰ ἀπὸ των Μήδων. Καὶ οἱ μὲν ἀπώσασθαι ὂν τὸν θεὸν καὶ ἅπαντα ὁμοίως ἡγοῦντο ὅσα ἀπὸ τοῦ Πέρσου εἰ, ὥσπερ ὁ Θεμιστοκλῆς, καὶ οἱ ἄλλοι ποότερον ἢ ἀναθεῖναι σφᾶς ἐπήροντο τὸν*

ubi Pythiam rogatam fuisse expressis verbis asserit: I. 47 : ἐν δὲ Δελφοῖσι ὡς ἐσῆλθον τάχιστα ἐς τὸ μέγαρον οἱ Λυδοὶ χρησόμενοι τῷ θεῷ καὶ ἐπειρώτων τὸ ἐντεταλμένον, ἡ Πυθίη...λέγει τάδε...

[1] Eetion, cui Pythia praedicit Labdam filium mox esse parturam (Λάβδα κύει, τέξει δ' ὀλοοίτροχον..), περὶ γόνου consulere instituerat. Athenienses, qui de exscidio patriae audiunt, venerant ut ὑπὲρ σωτηρίης τῆς πόλεως (cf. VI. 19) sciscitarentur. Lycurgum, quem deo vates aequiparat, sine dubio aderat rogaturus numquid valerent ad εὐνομίην Spartanis reddendam praecepta quae excogitaverat.

[2] Cf. quae scripsit Plutarchus, *De garrulitate*, 20 : Ἡ μὲν γὰρ Πυθία καὶ πρὸ ἐρωτήσεως αὐθωρὶ χρησμοὺς εἴωθέ τινας ἐκφέρειν· ὁ γὰρ θεὸς ᾧ λατρεύει « καὶ κωφοῦ συνίησι καὶ οὐ λαλέοντος ἀκούει ». — Inde fit ut de propositi natura vel specie consulentes nonnunquam sileant: cf. Collitz, 1580 : ἦ συμπείθον[τι] αὐτῷ ὑπὲρ [το]ῦ πράγματος (quale sit hoc πρᾶγμα tacetur)... ϝέλτιον καὶ ἄμεινον Πυσταχίωνι (ἐ)σσεῖται ; — BCH, XIV, p. 157 : αἴ κα μέλλει ἐς [Σύ]βαριν ἰόντι λώιον ἔμεν [κ]α ? πράττοντι ταῦτα ; — Herod., V. 43: τὴν χώρην ἐπ' ἣν στέλλεται ; — Xenoph., *Anab.*, III. 1. 6 : τὴν ὁδὸν ἣν ἐπινοεῖ ; — etc,.. Talis quidem dissimulatio prudentis viri saepe fuit, cum oracula alicui edita nonnunquam legamus magno cum damno consulentis inimicis vulgata fuisse : cf. Herod., I. 20 ; Soph., *Oed. Col.*, v. 417 (nam ex versu 415 apparet Thebanos solos sibi consuluisse); Lyc., *adv. Leocrat.*, § 85; Ergias ap. Athen., p. 360 E ; Pausan., IV. 10. init.; etc.

Digitized by Google

Ἀπόλλωνα κτλ. (X. 14. 3)[1]; ex his verbis cognoscere potes quam stricte oraculorum ministri in respondendi officio sese continuerint.

Vel sic illis quidem satis larga copia dabatur quicquid volebant imperandi, petita non petitaque quasi per saturam intermiscentibus; non adeo tamen ut primo iussu semper impetrarent quod nihil ad rem pertineret. Grinno Theraeorum regi, περὶ ἄλλων χρωμένῳ, narrat Herodotus (IV. 150) imperavisse Pythiam ut in Libya coloniam conderet. Quid Grinnus? « Ego quidem, domine », respondit, « iam provectior aetate sum et gravis; tu, quae mihi imperas, iuveniori impera ». Quo dicto, abiit, nec divina iussa amplius curavit. Nonnullis annis interiectis, cum Battus περὶ φωνῆς χρησόμενος oraculum adiret, rursus Pythia de condenda urbe mentionem fecit; sed Battus non minus quam Grinnus reluctantem se praebebat, dicens: « Ego de voce consulturus veni; tu mihi de aliis dicis, quae perficere non possum; nam quibus tandem viribus in Libya civitatem condam? » Nec prius deorum mandata explevit, quam pestilentia, Theraeis inflicta, parere tandem cogeretur. Haec sane, fateor, fere mythica sunt. Quapropter aliam historiam ex Herodoto (V. 63) afferamus, non ita fide destitutam. Alcmaeonidae, Athenis eiecti, Pythiae donis persuaserunt ut iuberet Lacedaemonios Athenas a Pisistratidis liberas reddere; et Lacedaemonii quidem paruerunt; quam cunctanter vero et quotiens a deo increpiti, ex ipsis Herodoti verbis intellegi potest: (Ἀλκμαιωνίδαι) τὴν

[1] Quae quidem sententia, etsi apud recentiorem demum scriptorem expressa, non est cur a veterum opinionibus absentanea iudicetur. Apud eumdem Pausaniam (II. 6. 2), non nisi interrogata Minerva Epopeo profert se contentam esse templo quod ille aedificaverat.

Digitized by Google

Πυθίην ἀνέπειθον χρήμασι, ὅκως ἔλθοιεν Σπαρτιητέων ἄνδρες εἴτε ἰδίῳ στόλῳ εἴτε δημοσίῳ χρησόμενοι, προφέρειν σφι τὰς Ἀθήνας ἐλευθεροῦν. Vides consulentes, cum deus a re aberraret, non sine controversia aberranti obsecutos esse, illa Apollinis quasi in suum vertentes, Pelopi quondam obiectata : ὃ βούλομαι δός, μὴ δίδου δ' ὃ μὴ θέλω [1].

Persaepe vero evenit ut quod consilium praeceptumve iussumve deus alicui dederat non sine quorumdam assensu et auxilio ad effectum duci potuerit. Placet inquirere quo modo isti se gesserint.

Rhodios Diodorus narrat (V. 58. 4-5), serpentibus permultis vexatos, Apollinem hortatum esse ut Phorbantem ad se appellarent : qui quidem, cum sub idem tempus sibique et suis commodas sedes quaereret, nil mirum si arcessitus arcessentes statim secutus est. Neque Damarmeno grave fuit Elaeis, qui suadente Pythia os Pelopis petebant, extemplo morem gerere, cum ipse tunc Delphis rogaret quomodo osse utendum (Paus., V. 13. 5). Tales autem concursus, sive fortuitos sive de industria a numinibus praeparatos, rerum ordo perraro ferebat. Longe saepius cum improvisis et inopinantibus res gerenda fuit. Quorum multos nihilominus consiliis divinis dociles sese praebuisse, equidem non infitior : velut illos ex quibus κατὰ τοὺς χρησμούς Teii quondam postulaverunt ut sanctam et intemerandam urbem Teum haberent [2], vel artifices scenici ut universi collegio privilegia quaedam agno-

[1] Sch. Aristoph., *Nub.*, v. 144.

[2] Lebas-Waddington, Asie Mineure, n° 78, l. 7-9 : ὑπέρ τε τοῦ εἶναι ἱερὰν κα[ὶ ἄσυλον τὴν χώραν αὐτῶν] συνέστησαν διά τε τῶν χρησμῶν [τῶν ἀναγγελθέντων ἐν] Δελφοῖς καὶ ἐν Διδύμοις. — De similibus oraculis quae Cyziceni quoque acceperunt, cf. quae scripsit Homollius in BCH, IV, p. 473, 476. (Titulus sub finem III[i] saeculi vel initio II[i] exaratus fuisse videtur).

Digitized by Google

scerent[1]. Sed non desunt quos oraculis, alii cupiam editis, minime obstrictos fuisse videmus. Sic Olympias, ut exemplis utar, Atheniensibus Dodonam ex oraculo pretiosissima ornamenta Dionae deae ferentibus, sinere nolebat exteros in Molossia vel minimum quid a loco movere[2]. Epidamniis, quos Thucydides narrat Corinthiis iubente Pythia patriam suam tradidisse τὸ χρηστήριον δηλοῦντας, assentiuntur quidem Corinthii, ita vero ut iussu divino haudquaquam permoti videantur : νομίζοντες οὐχ ἧσσον ἑαυτῶν εἶναι τὴν ἀποικίαν ἢ Κερκυραίων, ἅμα δὲ μίσει τῶν Κερκυραίων ὅτι αὐτῶν παρημέλουν ὄντες ἄποικοι... (I. 25. 3) · πάντων οὖν τούτων ἐγκλήματα ἔχοντες οἱ Κορίνθιοι ἔπεμπον... ἄσμενοι τὴν ὠφελίαν (I. 26. 1). Nec Lacedaemonios apud Herodotum (I. 69-70), cum Croeso foedere iunguntur, quicquam oraculo tribuisse apparet secundum quod sollicitabantur, sed potius principi erga se olim munifico gratiam referre volebant, eoque gaudebant quod Lydiorum rex celeberrimus suam amicitiam prae ceteris aucupatus esset[3]. Numquid autem valuerit

[1] CIG, 3067, l. 17 sq. : οὓς (artifices) καὶ θεοὶ καὶ β[ασιλεῖς καὶ πάντες Ἕλ]ληνες τιμῶσιν, δεδωκότες τήν τε ἀσυλίαν καὶ ἀσφάλειαν πᾶσι [καὶ πολέμου καὶ εἰ]ρήνης κατακολουθοῦντες τοῖς Ἀπόλλωνος χρησμοῖς.— Utrum Demo ille, de quo loquitur titulus atticus saeculo IV° exaratus (Dittenb., 368), domum hortumque populo tunc demum concesserit postquam edixisset Pythia Atheniensibus ut Aesculapio hortum et domum dicarent, an ipse dicanda ea pactione ultro obtulerit ut sacerdos constitueretur, Athenienses autem rogaverint num offerenti petentique simul morem gerere praestaret, ex ipso titulo non manifestum est; posteriori sententiae libenter ego accesserim. Xenophon, qui Scillunte agrum se emisse narrat ὅπου ἀνεῖλεν ὁ θεός (*Anab.*, V. 3. 8), sine dubio rogaverat quemnam ex nonnullis agris qui forte tunc venales essent potissimum Dianae emeret.

[2] Hyper., *pro Euxenippo*, § 25-26.

[3] καὶ γάρ τινες αὐτοὺς εὐεργεσίαι εἶχον ἐκ Κροίσου πρότερον ἔτι γεγονυῖαι· τούτων τε ὧν εἵνεκεν οἱ Λακεδαιμόνιοι τὴν συμμαχίην ἐδέξαντο, καὶ ὅτι ἐκ πάντων σφέας προκρίνας Ἑλλήνων αἱρέετο φίλους.

Digitized by Google

oraculi verecundia ad adducendos Aiginenses ut Thebanis κατὰ τὸ χρηστήριον poscentibus Aiacidarum simulacra mitterent (Herod., V. 80), vel Athenienses ut Epidauriis in Damiae Auxesiaeque statuas olivae lignum suppeditarent (V. 82), ex Herodoto non elucet; at saltem Athenienses non nisi pacta mercede Epidauriorum votis annuerunt. Eosdem, cum Tyrtaeum Spartanis misere, parum verecunde erga Apollinem se gessisse, apud Pausaniam narratur[1], vi[i] saeculi scriptoribus ut videtur iam innotuerat. Interdum etiam nonnullis, a quibus propter oraculum alius aliquid orabat, obtemperare non prius visum est, quam suo nomine deum rursus interrogavissent. Testimonium luculentum praebet titulus paucos ante annos Magnesiae repertus, quo urbis κτίσις continetur[2]: Magnetes enim hic titulus narrat a Pythia olim incitatos fuisse ut ad Mandrolyti sedes transmigrarent, illo duce utentes cui, adyton egressi, omnium primo occurrissent; Leucippo vero primo occurrisse; *συναντησάντων δὲ κατὰ τὸ ῥηθὲν καὶ τὴν συγγένειαν πρὸς τὸν Λεύκιππον ἀνανεωσαμένων, ἐπιδειξάντων τοὺς χρησμοὺς ἄσμενος ὑπήκουσεν ὁ Λεύκιππος, ὅμως μέντοι γε καὶ αὐτὸς ἐπηρώτησε κατ' ἰδίαν τὸν θεόν.* Non aliter apud Herodotum (VI. 35) Miltiadem Cypseli filium, cui ex oraculo Dolonci regnum offerebant[3], Delphis quaerentem videmus *εἰ ποιέοι τάπερ αὐτοῦ οἱ Δόλογκοι προσεδέοντο.*

Quae cum ita sint, fieri non potuit, si duo inter se iurgabant, ut oraculo uni privatim edito certamen sine controversia tolleretur. Quotiens autem de altercatione per

[1] Ἀθηναῖοι δὲ οὐδέτερα θέλοντες, οὔτε Λακεδαιμονίους ἄνευ μεγάλων κινδύνων προσλαβεῖν μοῖραν τῶν ἐν Πελοποννήσῳ τὴν ἀρίστην, οὔτε αὐτοὶ παρακοῦσαι τοῦ θεοῦ κτλ.

[2] Edidit et commentario instruxit Otto Kern, *die Gründungsgeschichte von Magnesia am Maiandros*, Berolini, 1894.

[3] οἱ δὲ δεξάμενοι καὶ ξεινισθέντες ὑπ' αὐτοῦ ἐξέφαινον πᾶν οἱ τὸ μαντήιον, ἐκφήναντες δὲ ἐδέοντο αὐτοῦ τῷ θεῷ μιν πείθεσθαι.

Digitized by Google

oraculum dirempta audimus, inter altercantes prius convenisse ut iudice deo uterentur vel dicitur vel credibile est. Confer quae Pausanias narrat de Codri filiis imperium simul petentibus (VIII. 2. 1 : Δόξαν δέ σφισιν ἀνενεγκεῖν ἐς τὸ χρηστήριον τὸ ἐν Δελφοῖς...), Herodotus de Gygae fautoribus et adversariis (I. 13 : συνέβησαν ἐς τωὐτὸ οἵ τε τοῦ Γυγέω στασιῶται καὶ οἱ λοιποὶ Λυδοί), Diodorus de Cymaeis et Clazomeniis ob Leucam litigantibus (XV. 18. 2 : μετὰ δὲ ταῦτα εἰπόντος τινὸς ἐρωτῆσαι τὸν θεὸν κτλ.), de Thuriorum factionibus quarum quaeque suis οἰκιστῶν honores poscebat (XII. 35. 3 : τέλος δὲ τῶν Θουρίων πεμψάντων εἰς Δελφοὺς κτλ.), etc. Neque Corcyraei apud Thucydidem (I. 28), Epidamnum sibi vindicantes, responsa divina ultro praetendebant aut ad solvendam litem Apollini Pythio maiorem potestatem tribuere volebant quam arbitro humano cuicumque : εἰ δέ τι ἀντιποιοῦνται (Corinthii), δίκας ἤθελον δοῦναι ἐν Πελοποννήσῳ παρὰ πόλεσι αἷς ἂν ἀμφότεροι ξυμβῶσιν· ὁποτέρων δ' ἂν δικασθῇ εἶναι τὴν ἀποικίαν, τούτους κρατεῖν. Ἤθελον δὲ καὶ τῷ ἐν Δελφοῖς μαντείῳ ἐπιτρέψαι.

Quam arctissimis igitur finibus inopportunam numinis divini patefactionem Graeci circumscripsisse videntur.

*
* *

Pietatis pars est morum disciplina. De qua nunc verba faciamus.

Omni tempore apud Graecos quaedam genera facinorum publica religione improbata fuerunt, eademque odiosa deo habebantur, quippe quibusdam legibus (θεσμοῖς) adversa ab ipso deo constitutis. Attamen accidere potuit ut

Digitized by Google

homines nonnulli, impudentia laborantes et sanctimoniae parum curiosi, per divinationem licentiam leges perrumpendi comparare sibi conarentur. Tale quid in *Odyssea* Amphinomus suadet, procis in Telemachi caput insidias constituentibus (XVI, v. 400 sq.) :

> ὦ φίλοι, οὐκ ἂν ἐγώ γε κατακτείνειν ἐθέλοιμι
> Τηλέμαχον· δεινὸν δὲ γένος βασιλήιόν ἐστιν
> κτείνειν· ἀλλὰ πρῶτα θεῶν εἰρώμεθα βουλάς.
> Εἰ μέν κ' αἰνήσωσι Διὸς μεγάλοιο θέμιστες,
> αὐτός τε κτενέω τούς τ' ἄλλους πάντας ἀνώξω·
> εἰ δέ κ' ἀποτρωπῶσι θεοί, παύσασθαι ἄνωγα.

Serioribusque graecitatis temporibus, si cynico illi philosopho credimus quem Plutarchus in libelli *De defectu oraculorum* cap. 7 disserentem facit[1], permulti de talibus consiliis inceptisve oracula consulebant quae coram sene aperire eosdem certe puduisset, deis, ut videtur, turpia illa rogata satis benigne excipientibus. Quam sedulo vero, dum Graecia florebat, maximorum saltem oraculorum ministri nimiae lenitatis famam effugere studuerint, nos docere possunt Herodoti narrationes de Glauco et Aristodico. Glauco Epycidis filio Spartano, deum interroganti (sub bellorum persicorum tempus) an depositum, quod accepisset, accepisse sese negaret, et iureiurando pecuniam praedaretur, Pythia his versibus respondisse fertur (VI. 86) :

> Γλαῦκ' Ἐπικυδείδη, τὸ μὲν αὐτίκα κέρδιον οὕτω,
> ὅρκῳ νικῆσαι, καὶ χρήματα λῃΐσασθαι.
> Ὄμνυ', ἐπεὶ θάνατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.

[1] τοὐναντίον δ' ὑμῖν ἐγὼ προβάλλω διαπορῆσαι, πῶς οὐχὶ... Ἡρακλῆς αὖθις ἤ τις ἄλλος θεῶν ὑπέσπακε τὸν τρίποδα καταπιμπλάμενον αἰσχρῶν καὶ ἀθέων ἐρωτημάτων, ἃ τῷ θεῷ προβάλλουσιν, οἱ μὲν ὡς σοφιστοῦ διάπειραν λαμβάνοντες, οἱ δὲ περὶ θησαυρῶν ἢ κληρονομιῶν ἢ γάμων παρανόμων διερωτῶντες κτλ.

Digitized by Google

Ἀλλ' Ὅρκου παῖς ἐστιν ἀνώνυμος, οὐδ' ἔπι χεῖρες,
οὐδὲ πόδες, κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
συμμάρψας ὀλέσει γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων —

veniamque eorum oranti quae dixerat, alterum hoc responsum datum est : « idem pollere tentare deum et facere ». Aristodico Cymaeo Apollinem Didymaeum acerbe vituperanti quod Cymaeos iussisset Pactyam Lydium, supplicem, infensis Persis tradere (anno ± 540), vox ex adyto orta talia respondit : « Equidem iubeo, ut peccatis vestris ad perniciem cito abripiamini neque in posterum de supplicis proditione oraculum adeatis ! » Hic quoque laudandus, ni fallor, locus Diodoreus quidam (XV. 10. 2), ex Ephoro fortasse expressus, ubi Teribazum legimus ab Oronte insimulatum (anno 385) quod adversus Regem defectionem molitus esset et περὶ ἐπαναστάσεως Pythiam consuluisset, ad causam purgandam coram iudicibus hoc asseverasse : μὴ χρηματίζειν τὸν θεὸν καθόλου περὶ θανάτου, testesque Graecos produxisse quotquot iudicio interessent. Περὶ θανάτου quid sibi velit, ego non intellegere fateor. Si de caede Regis ageretur, — de qua cogitavisse Teribazus quidem non dicitur, — περὶ φόνου, non περὶ θανάτου scribendum erat ; speravisse autem Teribazum fore ut Rex brevi moreretur et ex Pythia rogavisse num revera moriturus esset, nihil est prorsus cur credamus. Quamobrem pro περὶ θανάτου olim scriptum fuisse crediderim περὶ ἀθεμίτου ; ita ut saeculi IV^{i} initio inter plerosque constiterit non de quovis consilio fas oracula adire.

Age vero recenseamus quam saepe scriptores testentur quemdam impunitum inhoneste deos interrogavisse. Argivos Herodotus narrat (VII. 148), persico bello imminente, a Pythia esse sciscitatos num expediret Graecos adiuvare pro libertate communi certantes ; Cretes haud aliter (VII.

Digitized by Google

169), hostibus iam appropinquantibus; et utrisque deum imperasse ut bello sese abstinerent. Haec ab Argivis Cretibusque post eventum conficta fuisse, excusationis causa, mihi satis verisimile est; sed fac evenisse; generose parum Argivi et Cretes se gesserunt, quos et homericus Hector improbasset[1] et vituperasset Epictetus[2], non rara tamen ignavia, quo tempore multi, et ipsi Pythici sacerdotes[3], rebus Graeciae prorsus desperabant. Nec Agrigentinis dedecorum fuit sciscitari ὅπως Φαλάριδι ἐπιθῶνται[4], cum tyrannicidae apud tot gentes Graecorum tantis honoribus cumulati fuerint, Phalaris vero antiquitus[5] tyrannorum crudelissimus habitus sit. Nec Agesipolis, Argivos aggressurus, praeter aequum et bonum sciscitatus est Olympiae εἰ ὁσιῶς ἂν ἔχοι αὐτῷ μὴ δεχομένῳ τὰς σπονδὰς τῶν Ἀργείων[6], cum Argivi solerent pro rei necessitate vel Carneias sacras indutias serius celebrare quam Doriensibus legitimum erat[7], vel ferias et ἱερομηνίας extra tempus constitutum imminentibus Spartanis tanquam propugnaculum obtendere[8]. Haec fere sunt quae hic examinanda inveni[9]. Vides pauca esse et semper aliquid excusationis habere.

[1] Il., XII, v. 243: εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

[2] Epict., *Enchirid.*, XXXII, 3: ὅταν δεήσῃ συγκινδυνεῦσαι φίλῳ ἢ πατρίδι, μὴ μαντεύεσθαι εἰ συγκιδυνευτέον.

[3] De quo Pomtowium adeas in *Neue Jahrbücher* CXXIX (1884), p. 253 sq.; Busoltium in *Griech. Gesch.*, II², p. 661 et n. 4.

[4] Athen., p. 602 B (ex Heraclide Pontico ?)

[5] Jam certe apud Pindarum, *Pyth.*, I, v. 95.

[6] Xen., *Hellen.*, IV. 7. 2.

[7] Thucyd., V. 54. 3.

[8] Xen., *l. l.* Attende ad verba ὁπότε ἐμβάλλειν μέλλοιεν Λακεδαιμόνιοι, ὥσπερ εἰώθεσαν, ex quibus cognosces talem licentiam apud Argivos in consuetudinem venisse.

[9] Vix est quod moneam, verba quibus utitur Chremylus Aristophaneus (*Plutus*, v. 32 sq.): ἐπερησόμενος οὖν ᾠχόμην ὡς τὸν θεόν, |

Digitized by Google

Praeter scelesta facinora, alia negotia sunt de quibus Socrates, si Xenophonti credimus[1], divinationem adhibere vetabat : illa scilicet quorum eventum praevidere et opportunitatem perpendere ratio humana per se satis potuit. Non minus enim quam qui existimabant humanam mentem omnia attingere posse, etiam ei Socrati insanire (δαιμονᾶν) prorsus videbantur qui, quod homini deus attingere dedit, ex ipso deo petebant; nefasque (ἀθέμιτον) ducebat, ut exemplis utar, rogare num currui praeponendus esset doctus auriga an indoctus, navi peritus gubernator an rei nauticae inscius, vel de rebus quaerere quae aut numerando, aut metiendo, aut pensando facile cognosci poterant. Talem quidem usum divinationis apud Graecos v^{i} et iv^{i} saeculi quodammodo invaluisse, ipsis Xenophontis verbis extra dubitationem ponitur; quatenus vero patuerit, difficile dictu.

... | τὸν (δ') υἱόν, ὅσπερ ὢν μόνος μοι τυγχάνει, | πευσόμενος εἰ χρὴ μεταβαλόντα τοὺς τρόπους | εἶναι πανοῦργον, ἄδικον, ὑγιὲς μηδὲ ἕν, | ὡς τῷ βίῳ τοῦτ' αὐτὸ νομίσας συμφέρειν, nil valere ad mores aetatis sincere definiendos.

[1] *Memor.*, I. 1. 9.

Digitized by Google

IV

QUA ARTE DIVINI RESPONSA CONTEXUERINT

Vates nisi credas divino spiritu instinctos fuisse, quod Graeci olim censuerunt, sive diabolico, quod nonnulli adhuc arbitrantur[1], iure miraberis quomodo tam multis varia interrogantibus apta responsa dare potuerint. Quorumdam templorum ministros medicinae peritos fuisse, ita ut aegrotantibus ὅτι χρὴ ποιεῖν aperire scirent, concedo[2]; concedo et Delphis multa de civitatum politicis rebus, multa de longinquis terris ubi colonias condere expediret, ad sacerdotum aures pervenisse[3]. Saepissime autem quid respondere praestaret responsuri plane nesciebant. Artificiis tunc utendum erat, ne vaticinio eventus clare dissentiret. Quae qualia fuerint exponere nunc iam aggredior; hoc tantum praefatus, quas passim voces adhibebo « fraudes » vel « artificia » non in malam partem me intellegere. Sunt enim, ut ita dicam, candida artificia, sunt et piae fraudes; nec dubito quin saepe divini, etiam dum ancipitia verba compingebant et ad diversos dolos confugiebant, se nihilominus parere deis crediderint.

[1] Sic inter alios Knabenbauerus (*Orakel und Prophetie*, Progr. Passau, 1880, p. 29 sq.), Stützlius *(Das griechische Orakelwesen*, Progr. Ellwangen, II, 1890, p. 59 sq.)

[2] De Epidauriis sacerdotibus, cf. Lechat, *Épidaure*, p. 151.

[3] De quo v. Curtium, *Hist. gr.*, gall. transl., II, p. 34 sq.).

Digitized by Google

Inter illa artificia conspicuum locum tenet responsorum obscuritas et ambiguitas, quam Graeci κιβδηλότητα dicebant. Quae quam late patuerit, et nomen Λοξίας demonstrat, Homero quidem ignotum, sed iam a Pindaro, ab Herodoto, a Tragicis praesertim, saepe usurpatum[1]; et scriptorum nonnullorum loci aperte testantur variis temporibus conscripti : sat sit commemorare versum Aeschyleum quo in *Agamemnone* Cassandrae dicenti se graece eloqui (v. 1254 : καὶ μὴν ἄγαν γ' Ἕλλην' ἐπίσταμαι φάτιν) Chorus respondet, vaticiniorum nihil intellegens (v. 1255) : καὶ γὰρ τὰ πυθόχραντα· δυσμαθῆ δ'ὅμως; vel verba quibus Herodotus Thracii Bacchi oraculorum ambiguitatem notat (VIII. 111) : πρόμαντις δὲ ἡ χρέουσα κατάπερ ἐν Δελφοῖσι, καὶ οὐδὲν ποικιλώτερον; vel Platonici Hermogenis iocum, Cratyli ambages et abstrusas sententias irridentis (p. 384 A) : εἰ οὖν πῃ ἔχεις συμβαλεῖν τὴν Κρατύλου μαντείαν, ἡδέως ἂν ἀκούσαιμι[2]. — Quin et illis responsis quae nobis dilucidissima videntur tenebras et insidias inesse nonnunquam coniciebant, vel spe credula instincti vel nimio timore. Sic Astyages apud Herodotum (I. 120), cui magi quondam praedixerant fore ut Cyrus ante mortem avi regnaret, confectum esse vaticinium laetius quam prudentius arbitratur postquam puer, rex a pueris electus, regiam

[1] Illi quidem scriptores diserte nusquam profitentur unde hoc nomen traxerint ; sed cum Apollinem Λοξίαν tunc maxime dicant ubi de oraculis agitur (cf. Höferum, in Roscheri *Mythol. Lex.*, s. v. Λοξίας), verisimile est iam illis hoc nomen idem valuisse quod serius Cornuto (*De natura deorum*, 32, p. 197.), Luciano (*Iup. Trag.*, 28; *Dial. deorum*, XVI. 1; *Vit. auct.*, 14), Plutarcho (*De garrulitate*, 17).

[2] Non sine pondere deus interdum dicitur *dilucidis verbis* respondisse : Soph., *Oed. R.*, v. 96 ἄνωγεν ἡμᾶς Φοῖβος ἐμφανῶς ἄναξ (de quo versu vide editores); Aristoph., *Plut.*, v. 40 σαφῶς γὰρ ὁ θεὸς εἶπέ μοι τάδε ; etc... Insueta sane res Graecis videbatur, et digna quam commemorarent.

Digitized by Google

potestatem per ludum exercuit. Cleomenes autem, qui ex Pythia audiverat se Argo potiturum esse, urbem ne aggreditur quidem, licet praesidio nudam, audito lucum quemdam quem cinxerat et inflammaverat, Argi herois nominari (Herod., VI. 80-82)[1]. Nec minus pronum ad suspicionem Hippias se praestat, vir divinationis, ut videtur, peritissimus[2] : qui, cum per somnium se vidisset cubantem cum matre, de reditu primum, de regno rursus capessendo, de reliquo aevo in patria placide degendo, cogitavit; sed postquam Marathone e navi egressus dentem unum tussi labefactum reperire humi nequivisset, spem statim amisit, utpote dente adepto quod sibi ipse exspectabat (Herod., VI. 107). Apud Sophoclem Herculem videmus, cui Dodonaeus Iupiter praenuntiaverat certo quodam tempore *μόχθων τῶν ἐφεστώτων λύσιν τελεῖσθαι*[3], non gaudio indulgentem ut res ferre videbatur, sed potius timentem ne alio spectet oraculum[4] ; ut revera spectavisse scimus. Oedipus vero, qui Corintho fugerat ne Polybum patrem occideret, nuntiato senis exitio, se quo vaticinium tenderet male coniecisse suspicatur, absentemque regi mortem intulisse, desiderio pueri confecto[5]. Omissis fabulis ad historiam redeamus. Atheniensibus Syracusas obsidentibus praedictum fuerat *ὡς Ἀθηναῖοι λήψονται Συρακουσίους ἅπαντας* ; at, cum illis tabulae in manus venissent ubi Syracusanorum

[1] Cleomeni quidem, postquam Spartam rediit, inimici crimen intulerunt quod Argivis venalem sese praebuisset; ubi vero regressus causam quam supra rettuli exposuit, a iudicibus facile absolutus est (VI. 82 : ταῦτα δὲ λέγων πιστά τε καὶ οἰκότα ἐδόκεε Σπαρτιήτῃσι λέγειν, καὶ ἀπέφυγε πολλὸν τοὺς διώκοντας).

[2] Herod., V. 93 : Ἱππίης μὲν τούτοισι ἀμείβετο οἷά τε τοὺς χρησμοὺς ἀτρεκέστατα ἀνδρῶν ἐξεπιστάμενος.

[3] *Trachin.*, v. 1170-1171.

[4] *Ibid.*, v. 79-81, 166-168.

[5] Soph., *Oed. R.*, v. 969-970.

Digitized by Google

nomina tributim digesta legebantur, sollicitudo animum subiit, non Niciae dico, viro quam maxime superstitioso, sed omnibus divinis qui exercitum comitabantur, ne forte vaticinium nil amplius fausti promitteret[1]. — Eamdem, ni fallor, mentem erga deos suspicacem formulae nonnullae produnt quibus consulentes κιβδηλότητι vaticiniorum quasi occurrere videntur. Sic Dodonae quidam interrogat num ipsi prospere succedere possit commercium ὅπως κὰ δοκῇ exercenti mercesque τῇ κα δοκῇ evehenti (Collitz, 1568); alter, num expediat negotium quoddam commendare fautoresque rei conquirere ὅντινά κα τρόπον φαίνηται δόκιμον (Collitz, 1580) : incertis verbis scilicet, quae graece adscripsi, uterque forsitan usus sit ut de negotii genere vel modo controversias vitaret[2].

Celebratam illam ambiguitatem a vatibus interdum usurpatam esse ne vaticiniis eventa manifesto dissentire possent, exempla satis multa comprobare videntur. De oraculo cui male confisus Croesus in perniciem ruit (ἢν στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας, μεγάλην ἀρχὴν μιν καταλῦσαι)[3] tacendum arbitror, cum Croesi Delphorumque historia apud Herodotum fabulis redundet[4]. Libentius historico credam, Thebanis a. 506 rogantibus quomodo Athenienses ulciscerentur, respondisse Pythiam « si *a propinquis* auxilium peti-

[1] Plut., *Nicias*, 14 ad fin.

[2] Idem quadamtenus de aliis percontationibus valere quas modo laudabam (v. supra, p. 43, n. 2), mihi non extra fidem iacet (quanquam non nego tunc sine dubio id consulentibus maxime cordi fuisse ut aliorum hominum malam curiositatem fallerent). Dorieus saltem, qui sat repugnanter oraculum interrogaverat (Her., V. 42; 45), timere potuit ne, nisi caveret, in talem aliquem errorem ab irato deo ageretur qualis fuit postea error Atheniensium de colonis in *Siciliam* mittendis (Pausan., VIII. 11. 6).

[3] Herod., I. 53 ; cf. Arist., *Rhetor.*, III. 5.

[4] Cf. Benedikt, *De oraculis ab Herodoto commemoratis*, Diss. Bonnae, 1871, cap. III.

Digitized by Google

vissent » (V. 79)[1]; quae verba cum in diversas partes possent accipi, sacerdotibus excusatio quasi perpetua comparata erat : utique enim illis licebat asseverare, non intellexisse Thebanos qui essent ipsorum propinqui. Eiusdem generis oraculum Cylon accepisse dicitur (Thuc., I. 126. 4 : *χρωμένῳ δὲ τῷ Κύλωνι ἐν Δελφοῖς ἀνεῖλεν ὁ θεὸς ἐν τῇ τοῦ Διὸς τῇ μεγίστῃ ἑορτῇ καταλαβεῖν τὴν Ἀθηναίων ἀκρόπολιν*); quem postquam Alcmaeonidae oppresserunt, sacerdotes monebant propriae ruinae auctorem fuisse quod « Iovis maximas ferias » Olympia falso, non Diasia duxisset. Oraculum quoque de muro ligneo, quod Graecis ante Salaminem editum fuisse narratur (Herod., VII. 141) et credibile est[2] :

τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς
μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τὸ σὲ τέκνα τ' ὀνήσει

tali arte compositum fuit ut quoquo eventu approbari posset : Delphis enim cum certo et Acropolis munimenta dudum cognoscerentur et Themistoclis consilia iam satis innotuissent[3], non dubito quin de duplici interpretatione verborum *ξύλινον τεῖχος*[4] Pythia cogitaverit ; si Graecorum classem Persae profligassent, laudanda erat illorum senum prudentia qui exeundum esse negaverant. Facilius

[1] Cf. Wilamowitz, *Aristoteles und Athen*, II, p. 182.

[2] De genuina oraculi forma cf. quae disputavit Hendess, *Untersuchungen über die Echteit einiger delphischer Orakel*, Progr. Guben, 1882, p. 4-8 ; duo saltem novissimi versus, quibus Salamis celebratur et proelii tempus indicatur (*Ὦ θείη Σαλαμίς, ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν | ἤ που σκιδναμένης Δημήτερος ἢ συνιούσης*) post eventum adiecti fuere.

[3] Non tamen Limburgo-Brouwero *(Histoire de la Civilisation morale et religieuse des Grecs*, VI, p. 89) concedam, Themistoclem cum sacerdotibus Delphicis consilia communicavisse.

[4] Herod., VII. 142 ; VIII. 52.

Digitized by Google

ante bellum Peloponnesiacum Apollo Pythius ab errore cavit : nempe Peloponnesiis victoriam ea condicione pollicitus, « si *summis viribus* impugnassent[1] », nil firmi certique spondebat[2]; ceterum non absurde post eventum quis iudicaverit minus suis viribus vicisse Peloponnesios quam nimia virium intentione Athenienses sese perdidisse. De tempore non definito quomodo excusatio a divinis trahi potuerit, luculenter demonstrat Xenophon in *Anabasi* (VII. 8. 10-22) : qui quidem, audito Asidatem Persam cum familia et thesauris in intuto castello morari, illum aggredi constituit, a Basiaque haruspice certior factus est ὅτι ὁ ἀνὴρ ἁλώσιμος εἴη; castellum porro adortus, gravem repulsam rettulit; sed, cum die crastina Asidates fugiens in medios Graecos decidisset, tunc omnibus visum est Basiae vaticinium expectatos exitus habere. Similiter quidam, post captas a. 353 a Callippo Atheniensi Syracusas, perfectum denique vaticinium illud opinabantur quo freti v° saeculo Athenienses urbem obsederant[3]. Si Lycurgo credimus[4] (*adv. Leocratem*, § 93), Callistratus, Athenis eiectus, Delphis sciscitatus est num patriam securus revisere posset, ac tale responsum accepit : ὅτι ἂν ἔλθῃ Ἀθήναζε τεύξεται τῶν νόμων; reversus igitur, a civibus morte mulctatus est; quo facto, eius inimici, ut Lycurgus

[1] Thucyd., I. 118. 3 : κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκην ἔσεσθαι.

[2] Male de altero genere κιβδηλότητος nonnulli cogitaverunt, idem valere reputantes κατὰ κράτος πολεμοῦσι atque « *illis qui* summis viribus pugnaturi erant »; tunc enim τοῖς πολεμοῦσι scribendum fuisset.

[3] Plut., *Nicias*, 14, ad fin.

[4] Negat Rehdantzius *(ad loc.)* Pythiae responsum tanta ambiguitate laborasse quanta Lycurgus asserit, historiam forte, multos post annos, ad hoc accommodans quod comprobandum susceperat (οἱ θεοὶ... τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσιν); cuius sententiam inspicias, argutam quidem, meo vero iudicio non ita necessariam.

Digitized by Google

testatur[1], veracem Pythiam duxerunt; sin vero Callistratus veniam tulisset, quin si honoribus cumulatus esset, ipse et eius amici sine dubio idem censuissent; ita ut a parte alterutra Apollo non potuerit non veridicus haberi. Non magis periculum fuit ne Dodonaeum oraculum quo Demosthenes adversus Eubulum, Dinarchus adversus Demosthenem utitur, — *φυλάττεσθαι τοὺς ἡγεμόνας καὶ τοὺς συμβούλους* —, eventu redargueretur : nam Athenienses, si unquam peccaturi erant, necessarium erat suadente quodam et quasi ducente peccare; cuique vero illos quos deus notaret suasores ducesque agnoscere licuisse ubi vellet, ex locis supra laudatis iam satis manifestum est. Adhuc inaniora, si fieri potest, nonnulla oracula exstant; quorum, ne multus sim, sufficiat memorare duo, Thebanis a. 336 ante urbis exscidium edita : rogantibus enim quid moneret araneae tela quae in Cereris fano visa erat, magnitudine et colore insignis, Pythia respondit :

Σημεῖον τόδε πᾶσι θεοὶ φαίνουσι βροτοῖσι,
Βοιωτοῖς δὲ μάλιστα καὶ οἳ περιναιετάουσι

patriumque Thebanorum oraculum rursus hanc vocem edidit :

Ἰστὸς ὑφαινόμενος ἄλλῳ κακὸν, ἄλλῳ ἄμεινον !

(Diod., XVII. 10. 2-3.)

Forte quis miretur si ambiguitas, respondentibus sane perutilis, consulentes non ocius de fide deduxit et ad illas suspiciones cavillationesque pellexit quas suas fecit Cicero[2], quas Plutarchus tanquam scepticorum re-

[1] *L.l.*: τὸ γὰρ τῶν νόμων τοῖς ἠδικηκόσι τυχεῖν τιμωρία ἐστίν.
[2] *De divinatione*, II. 56 : « Oraculis Chrysippus totum volu-

Digitized by Google

fert[1]. Veritatem vates aliquando quasi obumbrasse ne a potentibus male mulcarentur, vel ne consulentium inimicis tacenda proderent[2], Plutarcho equidem concedo; quod tamen non nisi de paucis responsis valuit. Longe maioris momenti videtur ad rem enodandam argutiarum griphorumque amor qui apud Graecos vigebat, solertiae studium qua deos excellere, homines divino favore dignos fieri credebant. Inter ficticia oracula, ad maiorem dei gloriam inventa, et a rerum discrepantiis secura, multa gratuitam ambiguitatem vel obscuritatem exhibent. Eius generis sunt oracula Doriensibus et Heracleidis edita quibus iubebantur τὸν τρίτον καρπὸν περιμένειν, — scilicet non tertias fruges vel tertium annum, sed tertiam hominum aetatem[3] —, aut τῷ τριοφθάλμῳ ἡγεμόνι χρῆσθαι, — scilicet Oxylo quem luscum asellus vehebat[4]. Non audacius fuisset Neoptolemo suadere ut apud nomades consisteret tabernacula

men implevit, partim falsis ut ego opinor, partim casu veris ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris ut interpres egeat interprete et sors ipsa ad sortes referenda sit, partim ambiguis et quae ad dialecticum deferenda sint. »

[1] *De Pythiae orac.*, § 25 (= p. 407 AB) :... ἠτιῶντο τὴν περικειμένην τοῖς χρησμοῖς ποίησιν, οὐ μόνον ὡς ἀντιπράττουσαν τῇ νοήσει πρὸς τὸ ἀληθὲς ἀσάφειάν τε καὶ σκιὰν τῷ φραζομένῳ μιγνύουσαν, ἀλλὰ ἤδη καὶ τὰς μεταφορὰς καὶ τὰ αἰνίγματα καὶ τὰς ἀμφιβολίας, ὥσπερ μυχοὺς καὶ καταφυγὰς ἐνδύεσθαι καὶ ἀναχωρεῖν τῷ πταίοντι πεποιημένας τῆς μαντικῆς, ὑφεωρῶντο.

[2] *Ibid.*, § 26 (= p. 407 DE) : Χρώμενος δὲ (ὁ θεὸς) θνητοῖς ὑπηρέταις... ὧν κήδεσθαι προσήκει καὶ φυλάττειν ὅπως ὑπ' ἀνθρώπων οὐκ ἀπολοῦνται πονηρῶν θεῷ λατρεύοντες, ἀφανίζειν μὲν οὐ θέλει τὸ ἀληθὲς, παρατρέπων δὲ τὴν δήλωσιν αὐτοῦ καθάπερ αὐγὴν ἐν τῇ ποιητικῇ πολλὰς ἀνακλάσεις λαμβάνουσαν καὶ πολλαχοῦ περισχιζομένην, ἀφῄρει τὸ ἀντίτυπον αὐτοῦ καὶ τὸ σκληρόν. Ἦν δὲ ἄρ' ἃ καὶ τυράννους ἀγνοῆσαι καὶ πολεμίους <ἔδει> μὴ προαισθέσθαι. Τούτοις οὖν περιέβαλεν ὑπονοίας καὶ ἀμφιλογίας, αἳ πρὸς ἑτέρους ἀποκρύπτουσι τὸ φραζόμενον, οὐ διέφευγον αὐτοὺς οὐδὲ παρεκρούοντο τοὺς δεομένους καὶ προσέχοντας.

[3] Apollod., II. 8. 2.

[4] Apollod., II. 8. 3; Pausan., V. 3. 5.

Digitized by Google

incolentes, quam de regione canere ubi domorum ferrea fundamenta erant, mura lignea, tecta lanea [1]; — aut Amphictyonibus imperare ut ex insula Co Asclepiadas Chrysum et Nebrum arcesserent, quam ut *aurum* et *cervi filium*[2]; — aut Cyrum *Cyrum* vocare, quam ἡμίονον, quippe ex matre Meda nobili et patre Persa humiliore prognatum [3]; — aut ferrariam fabricam indicare quam talibus ambagibus uti[4] :

ἔνθ' ἄνεμοι πνείουσι δύω κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης
καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ' ἐπὶ πήματι κεῖται

— aut de hominibus dicere vivis in turri combustis quam de amphoris et camino[5]; — neque Hesiodo vel Cambysi aperte monstrare quae Nemea, quae Ecbatana devitanda esset, quam in universum praedicere hunc Ecbatanae, illum Nemeae esse obiturum[6]; — etc... Et in illis historiis et in aliis permultis quas promptum sit congerere, deum acumine superbire apparet et exquisitis ambagibus quasi lascivire; ita ut, responso accepto, homo nunc Oedipea perspicacitate indigeat, nunc illa cauta prudentia quam Ulyssi in *Odyssea* (XIII, v. 291-292) his verbis Minerva laudi dat :

κερδαλέος κ' εἴη καὶ ἐπίκλοπος, ὅς σε παρέλθοι
ἐν πάντεσσι δόλοισι, καὶ εἰ θεὸς ἀντιάσειεν.

Non minus quam impios corde, ingenio stolidos et quos (ut ita dicam) invitamentum quodcumque traheret, vaticinans deus videtur quasi despexisse.

[1] Schol. Odyss. III, v. 188.
[2] Epist. Hippocrat., VIII.
[3] Herod., I. 55.
[4] Herod., I. 67.
[5] Herod., V. 163-164.
[6] Herod., III. 64; Thucyd., III. 96.

Digitized by Google

Eo quoque persaepe divinus errorem vitabat, quod sciscitantibus num certum quid agere expediret, num certum quid attingere possent, felicem fore eventum aiebat, dummodo quemdam deorum propitium sibi reddidissent (ἱλάσκεσθαι); ita ut, si res male succederet, non divinus esset mendacii reus, sed aut deus malevolentiae, aut neglegentiae ille ipse qui consuluerat[1]. Universorum quorum memoria permansit oraculorum non minus quam tertia pars caerimonias praecipiunt, sacrificia, piamenta, festa[2]. Quae cum ita sint, facile Pomtowio credo formulas « τίνι ἂν θεῶν ἢ ἡρώων θύων καὶ εὐχόμενος aliquis optime ageret, vel certum quid adipisci posset? », — de quibus iam supra diximus, — non minus quam consulentibus, responsuris quoque placuisse; theorisque, nisi repugnarent, talia verba interdum sacerdotes ipsos praeivisse[3]. Inde fit fortasse ut vel pius homo, qualis Xenophon fuisse videtur, captiosis illis ambagibus nonnunquam uti potuerit. Eodemque modo explicandam arbitror duplicem illam percontationem quam Demostheneum quoddam instrumentum exhibet (*adv. Macartat.*, § 66) : Ἐπερωτᾷ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων περὶ τοῦ σημείου τοῦ ἐν οὐρανῷ γενομένου· ὅτι ἂν δρῶσιν Ἀθηναίοις ἢ ὅτῳ θεῷ θύουσιν ἢ εὐχομένοις εἴη ἐπὶ τὸ ἄμεινον ἀπὸ τοῦ σημείου.

Quemadmodum vero responsorum ambiguitatem haud inviti Graeci tolerabant, ita et alteram divinorum fraudem quam modo detexi sine dubio libenter passi sunt. Etenim cum apud illos tanta turba deorum excolenda esset, diligenter attendendum fuit ne vel hunc vel illum oblivio darent. Nec apud scriptores narrationes desunt mythicae aut historicae ubi ob iram numinis neglecti miseriis quos-

[1] Cf. *Neue Jahrbücher*, CXXVII (1883), p. 358.
[2] *Ibid.*
[3] *Ibid.*, p. 358-359.

Digitized by Google

dam afflictos legimus. Sic Tyndarus a Stesichoro narrabatur propterea impudicas filias habuisse, quod, sacra faciens, Veneris non meminisset[1]. Sic Xenophon Euclidi haruspici credit se idcirco ex tantis laboribus minime divitem reverti, quia, a quo susceperat iter, Meilichio Iovi hostiam nullam mactaverat[2]; etc... Pythiae igitur quis non credidisset, Arcades annona non iam laboraturos, si Cereris cultum in patria rursus instaurarent[3]? vel Alyattem, Lydiorum regem, sanitatem recuperaturum, si templum quod incenderat Minervae Assesiae denuo aedificavisset[4]? vel Magnetibus ex portento quod apparuerat nihil nisi faustum eventurum, dummodo novis honoribus Bacchum prosequerentur[5]? etc... Necnon omnibus constabat in caerimoniis rite perpetrandis momentum quam maximum poni ; quare Plato imperat ut de templorum aedificatione, de sacris, de deorum, heroum, daemonum honoribus, de exsequiis, de defunctorum inferiis Apollo Pythius adeatur (*Civit.*, IV, p. 427 BC); multosque revera de talibus consulentes videmus : Pelasgos, ut exemplis utar, de nominibus quibus liceat deos appellare[6]; Epidaurios, de materia qua Damiae et Auxesiae simulacra conficiant[7]; Clytidas Chios, de loco ubi servanda sint simulacra et aliae res sacrae[8]; Milesios, de opportunitate in Dianae festis aliquid mutandi[9], etc... Quotiens ergo, iamiam facessito quidquid erga deos praescriptum fuerat, exspectata bona non

[1] Fr. 35 B[3].
[2] *Anab.*, VII. 8. 3 sq.
[3] Pausan., VIII. 41. 4.
[4] Herod., I. 19.
[5] *Revue des Etudes grecques*, 1890, p. 350-351.
[6] Herod., II. 52.
[7] Herod., V. 82.
[8] Dittenb., 360, l. 1 sq. et rursus l. 10 sq.
[9] Dittenb., 391.

Digitized by Google

aderant, per omnes vati licebat mendacii crimen dissolvere, aliquid male gestum esse vel monstranti vel asseveranti.

Artificiorum genera duo usitatissima iam habes in lucem prolata. Alia minoris pretii exemplis paucis illustremus.

Valde memorabilia quae de oraculo Delphico « τὸ Πελαργικὸν ἀργὸν ἄμεινον » Thucydides disputat (II. 17. 2) : καί μοι δοκεῖ τὸ μαντεῖον τοὐναντίον ξυμβῆναι ἢ προσεδέχοντο· οὐ γὰρ διὰ τὴν παράνομον ἐνοίκησιν αἱ ξυμφοραὶ γενέσθαι τῇ πόλει, ἀλλὰ διὰ τὸν πόλεμον ἡ ἀνάγκη τῆς οἰκήσεως. Etenim, a quo oraculum editum fuit, pro certo praesumi poterat Athenienses, qua religione tunc temporis erant, non nisi vel obsidione vel alia quadam calamitate cogente in Pelargico esse habitaturos ; ita ut rerum futurarum cum responso congruentiam sacerdotes ipsi respondendo quasi necessariam effecerint. Eamdem fere solertiam prodit narratio de Tirynthiis quam ex Theophrasto Athenaeus refert (p. 261 DE) : Tirynthii enim, ad risum immodice proni, a Pythia quondam remedium mali poposcerunt ; respondit Pythia fore ut vitio liberarentur si Neptuno taurum *sine risu* sacrificavissent ; hoc ipsum vero quod iubebat vix poterat fieri nisi curato iam prius vitio de quo agebatur. Invenustius inversae causae et effectus vices in aliis historiis apparent : sic Meliis suadere ut in eo loco consisterent ubi « gestatores » (id est naves suas) amisissent[1], supervacaneum fuit, cum sine navibus non iam potuerint alias sedes quaerere.

Ad simpliciores artes devenio. Percontanti Polycrati cuidam, thesaurum Plataeis a Persis defossum ubi et quomodo detegere posset, respondisse deus narrabatur : « si

[1] Plut., *De virt. mulier.*, 7.

Digitized by Google

omnem lapidem a loco moveret[1] »; roganti alteri πῶς ἂν πλουτήσαιμι, Διὸς καὶ Λητοῦς υἱέ; Athenaeo teste (p. 219 A) hoc lepidum responsum contigit : εἰ τὸ μέσον κτήσαιο Κορίνθου καὶ Σικυῶνος. Vides, si quis futilia vel ambitiosa nimis poposcisset, divinos non abstinuisse quin iocando sese expedirent. Interdum quoque, grandiloqua praecepta edentes, difficilius munus respondendi non sine gloria a se reiciebant. Sic, roganti Croeso quid agens reliquam aetatem beatam degeret, Pythia edixisse fertur[2]:

Σαυτὸν γιγνώσκων εὐδαίμων, Κροισε, περάσεις

nobile placitum, quod effutire minoris laboris fuit quam Croeso de regno gubernando, de domo administranda, de vita ordinanda, humiliora singillatim praescribere.

Hactenus de calliditate disserui qua responsa vates componebant. Sed et aliunde nonnunquam excusationem traxisse videntur. Arrianus, postquam narravit Alexandri iam aegrotantis nonnullos familiares a Sarapide percontatos esse εἰ λῷον καὶ ἄμεινον Ἀλεξάνδρῳ εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ θεοῦ κομισθέντα καὶ ἱκετεύσαντα θεραπεύεσθαι πρὸς τοῦ θεοῦ, ac deum quidem vetuisse ne regem a loco moverent, Alexandrum vero paulo post e vita cessisse[3], — tanquam aequalium opinionem referens, haec verba subiungit : ὡς τοῦτο ἄρα ἤδη ὂν τὸ ἄμεινον. Tali porro excusationi locus sine dubio amplissimus patebat, cum plerique verba λῷον καὶ ἄμεινον aut similia in interrogando adhibere solerent; fides autem quanta revera tributa fuerit, parum compertum habemus. Comprobasset, ut puto, Socrates, qui a deis tantum τἀγαθά poscebat, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας ὁποῖα ἀγαθά ἐστι[4]; sed item vulgus sensisse, non ita verisimile est.

[1] Suidas, s. v. πάντα κάλων.
[2] Xen., *Cyrop.*, VII. 2. 20.
[3] *De expedit. Alex.*, VII. 26. 2.
[4] Xen., *Mem.*, I. 3. 2.

Digitized by Google

Notandi denique loci quidam Xenophontei ubi scriptor asserit non cuivis homini exspectandum esse ut per sacra, per aves, per voces, per somnia[1], arcana aperire dei dignentur, sed his tantummodo quibus dei favent nescio quo amore impulsi : *Mem.*, I. 1. 9 τοὺς θεοὺς γὰρ οἷς ἂν ὦσιν ἵλεῳ σημαίνειν; *Hipparch.*, 9. 9 : προσημαίνουσιν ᾧ ἂν ἐθέλωσιν; *Cyrop.*, I. 6. 46 : τῶν συμβουλευομένων ἀνθρώπων οἷς ἂν ἵλεῳ ὦσι προσημαίνουσιν ἅτε χρὴ ποιεῖν καὶ ἃ οὐ χρή. Εἰ δὲ μὴ πᾶσιν ἐθέλουσι συμβουλεύειν, οὐδὲν θαυμαστόν· οὐ γὰρ ἀνάγκη αὐτοῖς ἐστιν ὧν ἂν μὴ ἐθέλωσιν ἐπιμέλεσθαι. Qua cum sententia opiniones de deis receptae, ut videtur, plane congruebant[2].

[1] De oraculis tacet, cf. *Hipparch.*, 9. 9.
[2] Cf. Nägelsbach, *Nachhomerische Theologie*, p. 61-62.

Digitized by Google

PARS ALTERA

DE DIVINATIONE IN PUBLICIS REBUS ADHIBITA

I

QUATENUS IN CIVITABUS FACTIONIBUS LICUERIT DIVINATIONE ABUTI

Huius capituli materiam sic distribuemus, ut primum agamus de signorum interpretatione, sive ab homine expetitorum consulto, sive a deis ultro oblatorum; deinde, de vaticiniis et oraculis per verba editis.

*
* *

Spartae Plutarchus ex Phylarcho narrat Ephoros nono quoque anno λαβόντας νύκτα καθαρὰν καὶ ἀσέληνον silentio caelum contemplatos esse; et, si quam a certa parte traiectionem stellarum vidissent, regibus potestatem eripuisse litemque intulisse tanquam in deo impiis (ὡς περὶ τὸ θεῖον ἐξαμαρτόντες [1]). Potuerunt igitur Ephori quemcumque regum formidabant nono quoque anno amovere; eo facilius, quod ex Plutarchi verbis λαβόντες νύκτα ἀσέληνον colligendum videtur illos non indicto tempore, sed quando volebant nocturno munere functos esse, ita ut nullus ex

[1] Plut., *Agis*, 11.

Digitized by Google

adversariis simul caelum observare posset; quomodo tali facultate interdum usi sint, narratio testatur de Lysandro et Leonida[1]. — Adeo vitiosam consuetudinem in aliis civitatibus frustra quaesiveris. Notum est Graecos solitos fuisse, si vel terrae motus vel fulgur vel grando vel imber supervenisset (διοσημεία), concilia statim dimittere[2]. Et Athenis quidem forte non nisi assentientibus Exegetis dimittebant[3]; qui, cum essent ut videtur perpetui[4], et alii ex certis gentibus alii a Pythia lecti[5], cum hac vel illa factione stabilem societatem iungere potuerunt. Quid vero? Ob διοσημείας concilium dimittere fas erat, sed non decreta mutare aut suadere populo negotia quae tunc tractabantur certo quodam modo esse dirimenda[6]. Adde quod terrae motum, imbrem, similia, non facile fuit ementiri, tam multis circa adstantibus. Nec solis Exegetis licebat διοσημείας designare : sic apud Aristophanem (*Acharn.*, v. 169 sq.) Dikaiopolis privatus dimittendum concilium monet quod

[1] Plut., *l. l.*

[2] Cf. Thucyd., V. 45. 4 (= Plut., *Nicias*, 10); Aristoph., *Acharn.*, v. 169 sq., *Nub.*, v. 579 sq. (alius generis est *Eccles.*, v. 791 sq.); Thucyd., V. 50. 5; VIII. 6. 5.; Plut., *Dion*, 38 init.

[3] Pollux, VIII. 124; cf. Gilbert, *Handbuch*, I², p. 326, n. 3.

[4] In titulo romanae aetatis (CIA, III. 267) Exegeta ex Eupatridis dicitur χειροτονητὸς ὑπὸ τοῦ δήμου διὰ βίου; quod ad Exegetas « pythochrestos» attinet, cf. Plat., *Leg.*, p. 759 D.

[5] Ἐξηγηταὶ Εὐπατριδῶν, Εὐμολπιδῶν, πυθόχρηστοι. In titulis Delphicis nuper inventis assidue comparent et Exegeta Pythochrestus et alter qui dicitur ὑπὸ τοῦ δήμου καθιστάμενος.

[6] Etsi fieri potuit ut quae ante διοσημείαν decreverant, aut stabant ut decernerent, post διοσημείαν rursus sint aspernati : cf. Aristoph., *Nub.*, 579 sq.; Thucyd., VIII. 6. 5. At Athenienses anno 420, postridie quam terrae motu concilium abruptum fuerat, in eadem sententia constabant : quos Nicias vix potuit flectere, pridianam διοσημείαν haudquaquam ut videtur memorans (Thucyd., V. 46. 1; Plut., *Nicias*, 10).

Digitized by Google

pluviae guttam ipse acceperit. Parum igitur metuendum fuit ne inde pravus usus divinationis in publicos mores irrepe-ret. Num praeter διοσημείας portenta quoque varia Exegetae soliti sint publice interpretari, mihi videtur valde dubi-tandum ; qui credidit, ipse Petersenus notat, cum tot prodigia narrentur ante Siciliense bellum Atheniensibus paruisse, de Exegetis scriptores tacere[1]; nec monumenta desunt ubi videas Athenienses de prodigiis ad oraculum statim referentes. — Quibus vero, solis quantum scio praeter Exegetas, caelestia signa pro populo servare apud Graecos unquam curae fuit, — Atticos dico Pythaistas, quorum complures ex nonnullis gentibus optimatum desumpti fuerunt[2], — cum solum de tempore mittendae Delphos Pythaidos statuerent[3], nullo pacto licuit alicuius factionis partes commodaque fovere.

De rebus publicis longe saepius usurpata fuit divinatio ex hostiis ducta. Nunc enim per sacra ad hoc instituta rogabant num expediret certum quid facere, novis legibus uti[4], contionem convocare[5], magistratus eligere[6], theorias

[1] *Philologus*, Ier Supplementband, p. 184. — Rettulisse, in *Atthide*, illorum prodigiorum nonnulla Clitodemus apud Pausaniam dicitur (X. 15. 3 :...σημεῖα... διηγήσατο ὁ Κλειτόδημος), non ut Exegeta observasse et explicavisse. De fulguribus, de lunae vel solis defectibus, scripserant et idem Clitodemus et Philochorus et Anticleides (*Philol.*, l. l., p. 181-182), qui Exegetis annumerandi videntur ; sed aliud negotium erat doctrinae praecepta edere, aliud cum auctoritate publica de publicis rebus artem exercere. Interro-gantibus sese respondisse quid vellet σημεῖον quoddam et φάντασμα Philochorus quidem ipse refert (apud Dionys. Halic., *Iudic. de Dinarcho*, 3: ἡμεῖς δ' ἐρωτηθέντες...ἔφαμεν...) ; num vero populo tanquam Exegeta, an privatis tanquam artis divinatoriae peritus?

[2] *Hermes*, 1893, p. 628; BCH, 1896, p. 640.

[3] Strab., IX. 404.

[4] Xen., *De Vectigalibus*, ad fin.

[5] Cf. Gilbert, *Handbuch*, I², p. 325-326 et n. 1 .

[6] Si verum est, quod suadet dubitanter Gilbert (*o. l.*, p. 326, n. 1),

Digitized by Google

sacras dimittere[1], etc...[2]; nunc ex solemnibus sacris inquirebant num dei omnino propitii essent futuraque ita disposita ut populo omnia bene verterent. Qui tunc adhibebantur divini raro compertum habemus a quo et ex quibus electi fuerint. Apud Boeotos III[i] saeculi *μάντις* quidam in titulis apparet inter summos foederis ordinarios magistratus, perpetuus quidem atque, ut videtur, ex certa gente Thespiensi sumptus[3]; alterum eiusdem generis exemplum ego afferre non possim. Ex certis quoque gentibus divini illi sumebantur qui ante Pythaidos vel Deliados profectionem Oenoae in Pythio, Marathone in Delio exta inspiciebant[4]; fortasse etiam qui inde theorias comitabantur[5]. Quod autem ad illos attinet quos dicit Aristoteles cum hieropoeis *τοῖς ἐπὶ τὰ ἐκθύματα* sacris quibusdam extraordinariis praefuisse[6], ad illos qui (si Ciceroni credimus) apud Athenienses omnibus publicis consiliis intererant[7], apud Lacedaemonios regum et senum

ad sacra referendum esse quod praebent duo tituli attici (CIA, II. 416; IV[2]. 441 f) :ἀρχαιρεσίαι κατὰ τὴν μαντείαν τὴν τοῦ θεοῦ.

[1] Philochor. ap. Schol. Soph., *Oed. Col.*, v. 1047.

[2] Huc referenda videntur quae praebet Aristoteles, Ἀθ. Πολ., § 54. 6 : κληροῖ δὲ καὶ ἱεροποιοὺς δέκα, τοὺς ἐπὶ τὰ ἐκθύματα καλουμένους, οἵ τά τε μαντευτὰ ἱερὰ θύουσιν, κἄν τι καλλιερῆσαι δέῃ, καλλιεροῦσι μετὰ τῶν μάντεων, et quae in titulo Myconio legimus (Dittenb., 373, l. 21) : Ἐὰν δέ τι δέῃ καλλιερεῖν, ἱεροποιοὶ διδόντων.

[3] Cf. quae de re scripserunt Foucartus (BCH, VIII, p. 412) et Holleauxius (BCH, XIII, p. 22-23).

[4] Philochor. ap. Schol. Soph., *Oed. Col.*, v. 1047 (= fr. 158 Did.) : ὅταν δὲ σημεῖα γένηται παραδεδομένα ἐν τοῖς ἱεροῖς, τότε ἀποστέλλουσι τὴν θεωρίαν οἱ ἐκ τοῦ γένους Πυθιάδα καὶ Δηλιάδα, ὁποτέρα ἂν καθήκῃ αὐτοῖς.

[5] De divino Pythiada comitante cf. *Hermes*, 1893, p. 620; BCH, 1896, p. 640.

[6] Arist., Ἀθ. Πολ., 54. 6.

[7] Cicer., *De divinatione*, I. 43. Nonne Exegetae intellegendi sunt, quibus curae fuit διασημείας servare ?

Digitized by Google

assessores fuerunt[1], ad alios quos sacerdotibus adstitisse verisimile est, et unde sumpti sint plane ignoramus et quam diuturnum munus obierint. Utut vero de re iudicaris, non ita magnam nocendi facultatem extispicina et pyromancia factionibus videntur suppeditavisse. Hoc enim primo tenendum est, sacrorum ritus non adeo fuisse arcanos ut circa τὰ σφάγια καὶ τὰ ἱερά impune falsa referre divinus saepe potuerit. Neque haruspici unquam permissum videmus ut magna negotia solus conficeret. Contionem in crastinam diem differri, plerumque parvi ponderis fuit; minoris etiam, theoriae sacrae itineri interici moram quamvis magnam; nec, sub finem libelli *de Vectigalibus*, de legibus retinendis aut immutandis auctor per hostias consulendum dixit, sed de tempore, ni fallor, quo novas leges, a Pythia dudum approbatas, promulgare et experiri conveniret[2]; ita ut, si non statim fuisset litatum, in incepto tamen cives permanerent. Ubi vero in sacris ordinariis καλλιέρησις perseveranter deerat, ad oracula sine dubio confugiebatur, quae dicerent quid agendum esset; rarius ab ipsis divinis legimus apertum fuisse quodnam periculum exta portenderent[3].

[1] Cicer., *l. l.*

[2] *De vectig.*, VI. 2-3: Εἴ γε μὴν ταῦτα δόξειεν ὑμῖν πράττειν, συμβουλεύσαιμ' ἂν ἔγωγε πέμψαντας καὶ εἰς Δωδώνην καὶ εἰς Δελφοὺς ἐπέρεσθαι τοὺς θεοὺς εἰ λῷον καὶ ἄμεινον εἴη τῇ πόλει οὕτω κατασκευαζομένῃ καὶ αὐτίκα καὶ εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον. Εἰ δὲ ταῦτα συναινοῖεν, τότ' ἂν αὖ φαίην χρῆναι ἐπερωτᾶν τίνας θεῶν προσποιούμενοι ταῦτα κάλλιστα καὶ ἄριστα πράττοιμεν ἄν. Οὓς δ' ἀνέλοιεν θεούς, τούτοις εἰκὸς καλλιερήσαντας ἄρχεσθαι τοῦ ἔργου.

[3] Exemplum praebet Xenophon, *Hellen.*, III. 3. 4: θύοντος τοῦ Ἀγησιλάου τῶν τεταγμένων τινὰ θυσιῶν ὑπὲρ τῆς πόλεως, εἶπεν ὁ μάντις ὅτι ἐπιβουλήν τινα... φαίνοιεν οἱ θεοί (scilicet Cinadonis insidias). — Unde sciverint Lacedaemonii causam esse Talthybii iram cur Spartae non perlitaretur, Herodotus non commemoravit (VII. 134).

Digitized by Google

Pauca de divinis addam qui exercitus comitabantur. Illos sane, utpote in rebus valde ancipitibus artem exercentes ubi properato saepe opus erat, maiore auctoritate praeditos fuisse quam civiles μάντεις, et per se satis verisimile est et testimoniis multis comprobatur. In eisdem autem eligendis nihil magis Graeci respexerunt quam cuiusque viri prudentiam et calliditatem; ita ut non raro peregrinos antehabuerint[1], quin et ipsi Spartiatae donis multis, tandem civitate, Tisamenum Eleum devincire sibi voluerint[2]. Et Athenis saltem non duci permissum fuisse ut quem vellet divinum exercitui quasi praeponeret, significat Plato in *Lachete* (p. 198 E) scribens : καὶ ὁ νόμος οὕτω τάττει, μὴ τὸν μάντιν τοῦ στρατηγοῦ ἄρχειν, ἀλλὰ τὸν στρατηγὸν τοῦ μάντεως. Μάντις ergo, haud secus ac στρατηγός ipse, a civibus, credo, designatus fuit. Praeter quem dux sine dubio domesticos, ut ita dicam, divinos secum agere poterat, quos in consilium privatim arbitrio suo adhiberet.

* * *

Longe maioris momenti quam signorum interpretatio oracula et χρησμοί fuerunt; de quibus nobis nunc dicendum.

Cum e templo externo civitates oracula petebant, duplex periculum fuit, primum ne templi sacerdotes cum factione quadam civium conspirarent, dein ne sacerdotum responsa theori non vere referrent. Videamus quomodo utrique occurrere Graeci conati sint.

Suadere vel decernere ut oraculis publica negotia per-

[1] Cf. Bouché-Leclerq, *Histoire de la divination*, II, p. 62-92 (passim).

[2] Herod., IX. 33.

Digitized by Google

mitterentur, statuere quodnam oraculum potissime adeundum esset, apud liberas civitates non penes quosdam magistratus, quosdam sacerdotes, denique non penes hos aut illos cives, sed penes universos fuit. Iusto populiscito Athenienses anno 352 de sacra Orgade sciscitari Delphis constituunt[1], Milesii de Dianae caerimoniis[2], Pharii de re nescio qua[3], etc[4]... Iubente populo Euxenippus aliique duo in Amphiaraio Oropi pernoctant[5]. Aminiadem illum, qui ante Chaeronensem pugnam de mystarum nece aliisque portentis consulendum Delphis declarabat[6], scholiasta dicit divinum fuisse (*μάντις ἦν Ἀθηναῖος*); quod forte ex Aeschinis narratione collectum est; at verum sit; Demosthenis, viri privati, sententia vicisse refertur. Agesilaum, Spartanorum regem, apud Plutarchum legimus, postquam Olympiae iam consuluisset, *κελευόντων τῶν ἐφόρων* Pythiam deinceps interrogavisse[7]; immerito tamen propter illa verba de propria Ephororum auctoritate cogites; ex multis enim exemplis apparet Ephoros, utpote qui populi iussa peragenda curarent, pro populo saepe a scriptoribus memoratos esse[8]. Quodsi vero apud Xenophontem (*Hellen.*,

[1] BCH, XIII, p. 434–436, l. 53 : νῦν δὲ ἀναγ]ράψ[αι τ]ὸ[δε] τὸ ψ[ήφ]ισμα...; l. 84 : ἐάν του προσδέῃ τόδ]ε τὸ ψήφι[σμ]α...

[2] Dittenb., 391.

[3] CIG, 1837 b, l. 15-16 :... νους εἶπεν · τὰ μὲν ἄλλα [καθάπερ τῇ βουλῇ] καὶ τῷ δήμῳ...

[4] Apud Herodotum, ubi de oraculis consulendis agitur, nonnunquam invenias vocabula in populiscitis usitatissima : I. 157: *οἱ* Κυμαῖοι... ἔγνωσαν συμβουλῆς πέρι ἐς θεὸν ἀνοῖσαι τὸν ἐν Βραγχίδῃσι; VI 66: ἔδοξε Σπαρτιήτῃσι ἐπέρεσθαι τὸ χρηστήριον τὸ ἐν Δελφοῖσι...

[5] Hyper., *pro Euxenippo*, 14 : ὁ δῆμος προσέταξεν... ἐγκατακλισθῆναι...; 18 : τὸν δὲ καταχλισθέντα εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ δήμου κελεύσαντος.

[6] Aeschin., *adv. Ctesiph.*, 130: οὐ περὶ τούτων Ἀμεινιάδης μὲν προὔλεγεν εὐλαβεῖσθαι καὶ πέμπειν εἰς Δελφοὺς ἐπερησομένους τὸν θεὸν ὅτι χρὴ πράττειν, Δημοσθένης δὲ ἀντέλεγε...

[7] Plut., *Apopht. reg. et imperat.*, *Agesilas*, 7.

[8] Cf. Gilbert, *Handbuch*, I², p. 61.

Digitized by Google

IV. 7. 2) rex Agesipolis, Argivos aggressus, cum Olympiae tum Delphis sponte sua consuluisse videtur, nihil ad rem; namque, cum bello gerendo a populo praepositus[1] esset, quidquid ad gerendum bene conferebat, pro populo incipere potuit. Insolitum denique quod narrat Plutarchus[2], ante bellum Siciliense Alcibiadem privatum de belli opportunitate proprio motu Ammone sciscitatum esse, et quae responsa fausta accepisset per urbem deinde vulgasse; talem civium intemperantiam quatenus leges permiserint, obscurum est.

Ad fraudes vitandas magni intererat, a quo et ex quibus theori constituerentur. Spartae perpetuos quosdam theoros exstitisse qui soli de rebus publicis oraculum Delphicum adirent, Herodotus refert (VI. 57), nomine Pythios, numero quatuor, regum contubernales, a regibus ipsis designatos[3]. Per illos timendum erat ne reges ministros Delphicos conciliare sibi conarentur. Ac revera videtur Pythia, cum discordiis Sparta laborabat, regum partibus plerumque favisse. Si Tyrtaeo credimus, Theopompo ac Polydoro adversus populi arrogantiam oraculum valide succurrit[4]; Lysandrum autem, qui potestatem regiam, solis Agidis et Eurypontidis ad illud tempus servatam, omnibus Heracleidis, quin Spartanis omnibus in

[1] Xen., *l.l.*: ὁ δὲ Ἀγησίπολις ἐπεὶ ἔγνω ὅτι εἴη αὐτῷ ἡγητέον τῆς φρουρᾶς καὶ τὰ διαβατήρια θυομένῳ ἐγένετο, ἐλθὼν εἰς Ὀλυμπίαν...

[2] Plut., *Nicias*, 13: καὶ θεοπρόποι τινὲς αὐτῷ (Alcibiadi) παρὰ Ἄμμωνος ἀφίκοντο χρησμὸν κομίζοντες, ὡς λήψονται Συρακουσίους ἅπαντας Ἀθηναῖοι...

[3] Herod., *l.l.*; Xen., *Respubl. Lacedaem.*, 15. 5.

[4] Tyrt., fr. 4 Bergk[3], v. 1 sq.: Φοίβου ἀκούσαντες (reges vel Pythii) Πυθώνοθεν οἶκαδ' ἔνεικαν | μαντείας τε θεοῦ καὶ τελέεντ' ἔπεα· | ἄρχειν μὲν βουλῆς θεοτιμήτους βασιλῆας | ... | πρεσβυγενεῖς τε γέροντας, | ἔπειτα δὲ δημότας ἄνδρας | εὐθείην ῥήτραις ἀνταπαμειβομένους De primis versibus duobus, cf. Busolt, *Griech. Geschichte*, I[2], p. 545, n.; de vi sequentium, *o.l.*, p. 553-554; 557-558, n. 3; 568.

Digitized by Google

medium deferre volebat, re infecta Delphi prodiderunt[1]. Paulo post, regno pulsus Pausanias, cum in scriptis Ephoros lacesseret, Delphico patrocinio nisus est; per quem increbuit inter Spartanos opinio, meram Lycurgi πολιτείαν et ephoris primum caruisse[2] et ab Apolline dictatam fuisse[3]. Adde quod nonnullorum regum privatis odiis, consiliis vel utilitati oraculum gratificatum est : Cleomeni Pythia adfuit, in Demaratum insidias struenti[4]; Pleistoanactem exsulem in patriam revocare iussit[5]. Nec Spartanos latuisse videtur ille pravus erga reges favor[6]; quos, ut ante ceteros Graecos oraculum Ammonis adirent[7], forsitan impulerit haud gratuita suspicio. — Exceptis Pythiis, nullos habeo quos memorem publicos theoros perpetuos, nullos vel sola gentis dignitate vel muneribus quibus fungerentur quasi extra certamen designatos[8]. Thebanos qui anno 480 cum Europaeo Myrtoïum adierunt ut prophetae verba exscriberent, Herodotus vocat τῶν ἀστῶν αἱρετοὺς ἄνδρας τρεῖς ἀπὸ τοῦ κοινοῦ (VIII. 135). Tres illi Athenienses qui anno 352 Delphis de Or-

[1] Ephor. ap. Diod., XIV. 13. 2; Plut., *Lys.*, 25.

[2] Cf. Busolt, *Griech. Geschichte*, I², p. 556-557; 568.

[3] *Ibid.*, p. 566, n. 1, 2, 3.

[4] Herod., VI. 66.

[5] Thucyd., V. 16. 2.

[6] Thucyd., *l. l.*

[7] Pausan., III. 18. 2 : φαίνονται δὲ ἀπ' ἀρχῆς Λακεδαιμόνιοι μάλιστα Ἑλλήνων χρώμενοι τῷ ἐν Λιβύῃ μαντείῳ.

[8] *Prophetas* illos de quibus loquuntur tituli Rhodii (Lebas, Asie Min., 339, l. 12; BCH, IX, p. 98) non est cur credamus theoros fuisse perpetuos, nec ipse nunc credit Holleauxius. Propter dignitatem, sed non dignitate ipsa, sine dubio designati fuerunt et Doloncorum βασιλεῖς quos consuluisse Herodotus narrat (VI. 34), et quos oracula adeuntes seriores tituli ostendunt sacerdotem Iovis Trallensium (BCH, V, p. 340; tit. I¹ post Chr. saec.), praefectum annonae Nicomedensium (CIG, 3769 = Kaibel, *Epigrammata*, 1036), *oeconomum* Stratonicensium (CIG, 2717).

Digitized by Google

gade interrogaverunt, a populo electi fuerant, unus scilicet ex senatu, reliqui ex universis civibus[1]. E multis videntur fuisse Euxenippus et qui duo alii in Amphiaraio cubuerunt[2]. Item, quos IV° vel III° saeculo Magnetes Delphos[3], Milesii Delphos vel Branchidas[4], III° vel II° saeculo Boeoti ad Ptoium miserunt[5]. Phariorum theoros ex universis eligendos esse decretum diserte praescribit (ante a. 219)[6]. Unicum est quod praebet titulus III[1] saeculi ab Holleauxio prope Ptoium repertus[7]; ubi Calliclidas quidam, Locrus Opuntius, in Trophonii antrum descendisse dicitur et Lebadensium Acraephiotarumque nomine de nonnullis rebus consuluisse[8]; videntur scilicet Lebadeae et Acraephiarum cives, cum non sine terrore fatidicum antrum adiretur, privato cuidam peregrino, qui tunc de propriis rebus consulturus erat, cum bona gratia mandavisse ut de aliis simul consuleret.

Quam callide civitates interdum caverint ne cum factione

[1] BCH, XIII, p. 435, l. 41 sq.: ἐλέσθω δὲ] ὁ [δῆμ]ο[ς τρ]εῖς [ἄνδ]ρας, ἕ[να μὲν] ἐκ τῆς βουλῆς, δύο δὲ ἐξ Ἀθηναίω[ν ἁπάντων] ο[ἵτινες ε]ἰ[ς Δ]ε[λ]φοὺ[ς] ἀφικόμενοι τὸν θεὸν ἐπερ[ήσ]ο[νται...; cf. l. 61-62 : τῶν αἱρεθ[έντων εἰς Δελφοὺς ἑκάστῳ...

[2] Hyperid., *pro Euxenippo*, 14 : ὁ δῆμος προσέταξεν Εὐξενίππῳ τρίτῳ αὐτῷ ἐγκατακλισθῆναι εἰς τὸ ἱερόν; cf. 32 : ἰδιώτην ὄ]ντα...

[3] *Revue des Études grecques*, 1890, p. 350, l. 9-11 : Θεοπρόποι ἐπέμφθησαν ἐς Δελφοὺς Ἑρμῶνας Ἐπικράτους, Ἀρίσταρχος Διοδώρου.

[4] Dittenb., 391, l. 8-10 : Θεοπρόποι ἠρέθησαν Φείδιππος Ποσειδωνίου, Αὐτομήδης Ἐλπήνορος, Λάμπις Λαμπίτου, Λίχας... μοφάντου.

[5] BCH, XIII, p. 5 (= CIGS, 3207, l. 17-18) [θ]ιοπροπίοντος Οἰνοχίδαο Εὐμενίδαο Ἐρχομενίω; p. 6 (= CIGS, 1673, l. 5) θ[ιοπρ]οπίοντος Δινίαο Ἐροτίωνος... De titutorum aetate, cf. BCH, XIII, p. 12-15; XIV, p. 200.

[6] CIG, 1837 b, l. 16-17 :... ἐλέσθαι δ[ὲ πρέσβεις ἐκ πάντων] πολιτῶν ἄνδρας [ὡ]ς ἔξ ε[ἰς Δελφούς...

[7] BCH, XIV, p. 21; de aetate tituli cf. quae scripsit Holleauxius, XVI, p. 456.

[8] BCH, XIV, p. 21 : Καλλικλίδας Λοκρὸς ἐσς Ὀπύεντος καταβὰς ἐς Τρεφώνιον ἀνάνγειλε ..; cf. *ibid.*, p. 30.

Digitized by Google

oraculum ipsum colluderet, testatur titulus de sacra Orgade quem iam supra saepe laudavimus[1]. Hoc titulo enim praescribitur ut in stamnea lamella scriba senatus inscribat εἰ λῶιον καὶ ἄμει[νό]ν ἐστι τῶι δή[μωι τῶι Ἀθηναίων μισ]θοῦν τὸμ βασιλέα τ[ὰ] νῦ[ν ἐ]νειρ[γ]ασμ[έ]να [τῆς ἱερᾶς ὀργάδος τὰ ἐν]τὸς τῶν ὅρων εἰς οἰ[κο]δομίαν το[ῦ] Προ[στύλου καὶ ἐπισκευὴν τοῦ ἱ]ερου τοῖν θεοῖν (l. 23 sq.), in altera, priori perquam simillima, [εἰ λωῖον καὶ ἄμει]νόν ἐστι τῶι δήμωι τῶι Ἀθηναίων τὰ ν[ῦν ἐντὸς τῶ]ν ὅ[ρων ἐν]ειρ[γασ]μένα τῆς ἱερᾶς ὀργάδος [ἐᾶν] ἄν[ε]τ[α τοῖν θε]οῖν (l. 27 sq.); quo facto, utramque lamellam proedrorum praeses convolvat, lana circumliget, coram populo in aeream urnam deponat; agitata urna, lamellas deinde extrahat et unam in vase aureo, alteram in argenteo condat; vasa publico sigillo prytanum praeses obsignet et proprio quisquis voluerit, obsignataque sacri aerarii custodes in Acropolim reportent; tunc demum theori Delphos proficiscantur, Pythiam sic interrogaturi : κα]θ' [ὁπ]ότερ[α τὰ γ]ρ[άμ]ματα ποιῶ[σι]ν Ἀθηναῖοι περὶ τ[ῆς ἱερᾶς] ὁ[ργά]δο[ς, εἴτε τὰ ἐ]κ τῆς [χ]ρυσῆς ὑδρίας εἴτε τὰ ἐκ τῆ[ς ἀ]ρ[γυρᾶς (l. 44 sq.); reversis denique theoris, obsignata vasa ab Acropoli descendantur, pro contione aperiantur; et utrumcumque scriptorum eligendum Pythia dixerit, decreto populus sanciat. Vides, quo tempore theori rogabant utrum vasorum esset eligendum, et ipsos et omnes plane nescivisse quam lamellam quodque contineret; igitur nullus metus fuit ne cuipiam civium antistites dei indulgerent[2]. — Talibus forsitan artificiis alludant quae Cicero in libro priore *De Divinatione* (§ 34) narravit: Dodonae, cum ante Leuctricum proelium de victoria consulerent Lacedaemoniorum theori, simiam *et sortes ipsas dis-*

[1] Edidit et luculento commentario instruxit Foucartus, BCH, XIII, p. 433 sq.

[2] *L.l.*, p. 464-466.

Digitized by Google

turbasse et cetera quae erant ad sortem parata. Etenim cogitari potest Lacedaemone signatas tabellas a theoris adportatas esse, quarum oraculumunam deligeret. Sed de re valde dubia certum quid proferre non ausim.

Theoris commenticia renuntiantibus saeva imminere vulgus arbitrabatur; in deos peccare Theognis ut videtur dixit[1]. Num vero sola religio mendacia impedire valuerit, dubitare licet[2]; quare, quae praesto fuerint ad fraudes cohibendas aut exagitandas, non intempestive circumspiciemus. Qui vel ex antro Trophonii, vel e templis redibat ubi hominibus somnia dei mittebant, quaecumque voluit facile potuit ementiri[3]; non ita tamen ut confutari nequiverit; nam adversariis una saltem ratio patebat, de qua Hyperides mentionem fecit, ad alterum oraculum scilicet provocatio[4]. Ceteroqui non ita frequenter talia oracula civitates consuluisse videntur, nec sine peculiari opportunitate: Amphiaraium Euxenippi aetate Athenienses adierunt ideo quod de Amphiarai agro agebatur[5]; Trophonii antrum Lebadenses et Acraephiotae quia quae statuenda erant ad Trophonii cultum pertinebant[6]. Spartae quidem,

[1] V. 219-224 Welcker = v. 805-810 Bergk: Τόρνου καὶ στάθμης καὶ γνώμονος ἄνδρα θεωρὸν κτλ.

[2] Cf. quae narrabant de theoris quibus Ino, Athamantis uxor, referre falsa suaserat (Apollod., I. 9. 1).

[3] Audito quod consulentes viderant aut senserant conscripsisse Trophonii sacerdotes oraculum quod solum pro dei responso haberetur, crediderunt recentiores nonnulli, antiquorum nullus asseverat. Qui in antrum descendebant, ipsum Trophonium adspicere et loquentem audire credebantur; cf. Rohde, *Psyche*, p. 112, n. 2.

[4] Hyper., *pro Euxenippo*, 15 : Εἰ δὲ, ὥσπερ νυνὶ λέγεις, ἠγοῦ αὐτὸν καταψεύσασθαι τοῦ θεοῦ καὶ χαριζόμενόν τισι μὴ τἀληθῆ ἀπηγγελκέναι τῷ δήμῳ, οὐ ψήφισμα ἐχρῆν σε πρὸς τὸ ἐνύπνιον γράφειν, ἀλλ' ὅπερ ὁ πρότερος ἐμοῦ λέγων εἶπεν, εἰς Δελφοὺς πέμψαντα πυθέσθαι παρὰ τοῦ θεοῦ τὴν ἀλήθειαν.

[5] Cf. Dürrbach, *L'orateur Lycurgue*, p. 139 et n. 3.

[6] Cf. BCH, XIV, p. 29 sq.

Digitized by Google

ubi usus divinationis quam maxime vitiatus fuit, in fano deae Pasiphaae ephori assidue cubabant[1], et quod per somnia vel vidisse vel audivisse profitebantur contradicentibus obicere soliti sunt[2]; sed quae referebant non sine controversia populus pro lege habebat. — Ad oracula transeo ubi per antistites hominibus deus loquebatur, qualia fuerunt Delphicum, Dodonaeum, Libycum, a civitatibus plerumque interrogata. Cum theori nonnunquam narrentur illis a quibus legati fuerant responsa scripta reportasse, forte suspiceris impedimentum fraudibus ex eo fuisse allatum, quod oraculi ministri responsa vel ipsi scriberent vel scripta saltem perlegerent, et sigillo vel alio signo digna fide facerent. Cui quidem opinioni quodammodo favet locus Suidae, sub verbo τὰ τρία scribentis : ὅτι ὁ μαντευόμενος ἐν Δελφοῖς σεσημασμένους ἐλάμβανε τοὺς χρησμούς, καὶ προείρητο αὐτῷ, εἰ λύσει, ζημία μία τῶν τριῶν· ἢ γὰρ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτὸν ἔδει στερηθῆναι, ἢ τῆς χειρός, ἢ τῆς γλώττης. Sed tales cautiones quam saepe adhibitae fuerint, non exploratum habemus. Unum quod Dodonae invenerunt oraculi responsum[3] credo a sacerdote exaratum esse; ubicumque vero apud auctores v[i] vel iv[i] saeculi[4] de scriptis responsis agitur, scripsisse ipsos theoros Pomtowius bene demonstravit[5]. De sacerdotum autem sigillo, praeter locum Suidae omnia documenta silent;

[1] Cicer., *De divinatione*, I, 43; Plut., *Agis*, 9; *Cleom.*, 7.

[2] Plut., *Agis*, 9.

[3] Collitz, 1587 B.

[4] Aliter, II° saeculo, Coropae res se gerebat. De quo videas inferius, p. 89, n. 3.

[5] *Neue Jahrbücher*, CXXVII (1883), p. 351-353. — Animadvertendum, si serioris aevi documenta excitare licet, quod Plutarchus de Delphicis oraculis scripsit *(de Pyth. orac.*, 7) : καὶ γὰρ εἰ γράφειν ἔδει, μὴ λέγειν, τοὺς χρησμούς, οὐκ ἂν οἶμαι τοῦ θεοῦ τὰ γράμματα νομίζοντες ἐψέγομεν ὅτι λείπεται καλλιγραφίᾳ τῶν βασιλικῶν.

Digitized by Google

nisi lamellam quamdam Dodonaeam huc pertinere credideris, minus quidem integram, et unde certum quid vix erui potest[1]. — Id sane ante omnia improbos in fide continuisset, si responsa quaecumque deus ediderat a sacerdotibus in tabulario per quoddam tempus asservata essent. Eiusmodi tabularium Dodonae vel Ammone exstitisse, plane nihil quod sciam testatur[2]. Quod ad Delphos attinet, complura documenta a quibusdam saepe prolata sunt, sed talia quae mihi ad probandum valde infirma videantur. Nam illum θησαυρὸν πινάκων[3], de quo apud Athenaeum (p. 606 B) Polemo loquitur, non est cur credamus oraculis repletum fuisse. Ζύγαστρα audiunt in titulis delphicis ineditis vel recens editis[4] capsae quaedam ut videtur ligneae (cf. Phot., *s. v.* : κιβωτός· κυρίως δὲ ἡ ξυλίνη σορός) quibus includebantur expensi tabulae; de aedificio (cf. Phot., *ibid.* : παρὰ δὲ Δελφοῖς ζύγαστρον καλεῖται τὸ γραμματοφυλακεῖον) tacent tituli; si fuit, sine dubio capsas illas continebat. Quas memorat Euripides in *Plisthenis* fragmento (fr. 629 Nauck) διφθέρας μελαγγραφεῖς πολλῶν γεμούσας Λοξίου γηρυμάτων, nil testatur Delphis custoditas esse, potius quam Argis vel in alia nescio qua urbe. Illa vero ἀπόρρητα γράμματα ex quibus, suadente Lysandro, Delphici quidam sacerdotes παμπαλαίους χρησμούς exprompturi

[1] Collitz, 1578.

[2] De Dodona cf. quae scripsit Pomtowius, *l.l.*, p. 354, n. 53. Arae Eleorum Ammone dicatae, in quibus insculpta legebantur ὅσα τε ἐπυνθάνοντο οἱ Ἠλεῖοι καὶ τὰ χρησθέντα ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ τὰ ὀνόματα τῶν ἀνδρῶν οἳ παρὰ τὸν Ἄμμωνα ἦλθον ἐξ Ἤλιδος (Pausan., V. 15. 7), theororum ipsorum opera, non sacerdotum erectae fuerant; pariter ac stela Cyzicenorum et Apolloniatarum Delphis effossa (BCH, V, p. 455), vel illa de qua loquitur Deliacus titulus (BCH, IV, p. 473), l. 12-13 : κα[θ]ότι καὶ ἐν τῶι ἱερῶι τῶι ἐν Δελ[φοῖς] ἀναγέγραπται.

[3] Pro πινάκων Meinekius ex Strabone (IX. 3. 8, p. 421) et Dionys. Halic. (I. 18) Σπινατῶν legebat.

[4] BCH, 1896, p. 218-219.

Digitized by Google

erant[1], equidem non crediderim, — si unquam exstiterunt, — in eodem tabulario iacuisse in quo recentia Pythiae responsa. Neque quod Herodotus narrat (I. 90) de deo Delphico pristina responsa coram Lydiis legatis tuente ac interpretante me commovere valet ut putem exstitisse Delphis oraculorum sacram synagogen ; namque historia commenticia est[2]; aut facile credas a Croesi legatis responsorum quae vituperabant memoriam renovatam esse. Ne multa, asservata esse in praecipuis *manteiis* responsa, ego duco verisimillimum, praesertim cum videatur Herodotus multa quae refert oracula ex sacerdotibus Delphicis audivisse[3]; pro certo habere non possum. Quid vero? Hoc saltem extra dubium est, in illis *manteiis* ministros non abstinuisse quin responsorum formam minutius ipsi definirent; quos versibus sententiam saepe inclusisse scimus, scribentibus theoris praeivisse verba Pomtowius docet[4]. Igitur, vel si non exstabat responsorum legitima synagoge, ex ministris exquiri poterat num theori vera rettulissent[5]. Audi quod apud Sophoclem *(Oed. R.*, v. 603-604), irato Oedipo atque suspectanti a Creonte falsa renuntiari, Creon (qui nusquam dicitur responsum scriptum reportasse) respondet ut crimen defendat :

καὶ τῶνδ' ἔλεγχον τουτο μὲν Πυθώδ' ἰὼν
πεύθου τά χρησθέντ', εἰ σαφῶς ἤγγειλά σοι

[1] Ephor. ap. Plut., *Lys.*, 26.

[2] Cf. Benedikt, *De oraculis ab Herodoto commemoratis*, Diss. Bonnae, 1871, p. 29.

[3] *O.l.*, passim.

[4] *Neue Jahrbücher*, CXXVII (1883), p. 353.

[5] Aristodicus quidem apud Herodotum (I. 159), ex sacerdotibus Branchidarum haudquaquam sciscitatus num Cymaeis priores theori vera rettulerint, protinus ipsum deum rursus interrogat ; sed sic egisse forte putandus est quia non solum theoros, sed et sacerdotes

Digitized by Google

Praeter oracula in praesens tempus consulto petita, magni momenti apud vulgum alius quoque generis vaticinia persaepe fuisse, praesertim cum res publicae turbulentae essent et instarent magna pericula, antiqui scriptores ostendunt[1] : quae quidem tum ex aliquo templo iamdudum accepta dicebantur, tum a privatis vatibus, Musaeo, Bacide, aliis edita, vel etiam sine auctoris nomine vulgata nihilominus fidem faciebant. De illis vaticiniis hoc primum notandum videtur, cuique licuisse quae vellet cantare, seu alicunde protraheret, seu commodi causa ipse confingeret[2]. Unus Onomacritus poenas luisse refertur quod inter Musaei carmina ficticia interpolavisset; quem Hipparchus Pisistrati filius, teste Herodoto (VII. 6), Athenis eiecit. In civitatibus liberis nihil tale accidisse scimus; at saltem Athenienses, post cladem in Sicilia acceptam, divinis succensuisse Thucydides narrat (VIII. 1. 1.), non in eos animadvertisse.

Difficilior quaestio, num exstiterint in civitatibus secreti vaticiniorum thesauri quos nonnullis civibus aut magistratibus, sed non cuivis, adire fas esset. Spartae

suspectos habuit, quorum segnitatem reprehendere volebat (158 : ἀπιστέων τε τῷ χρησμῷ καὶ δοκέων τοὺς θεοπρόπους οὐ λέγειν ἀληθέως...; 159 :... πρὶν ἂν τὰ ἀπὸ σεῦ ἡμῖν δηλωθῇ ἀτρεκέως ὁκότερα ποιέωμεν).

[1] Sat sit memorare quae de tempore belli Peloponnesiaci Thucydides narrat (II. 8. 2 : καὶ πολλὰ μὲν λόγια ἐλέγοντο, πολλὰ δὲ χρησμολόγοι ᾖδον ἔν τε τοῖς μέλλουσι πολεμήσειν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι; II. 21. 3 : χρησμολόγοι τε ᾖδον χρησμοὺς παντοίους, ὡς ἀκροᾶσθαι ἕκαστος ὤργητο; II. 54. 2 sq.; VIII, 1. 1; cf. Plut., *Nicias*, 13) et Aristophanes multiplicibus facetiis aequales divinos irridens, de tempore quo Athenienses adversus Philippum bellabant, Demosthenes (*De classibus*, 25 : εἰ πάντες οἱ λέγοντες φοβοῖεν... καὶ μετὰ τῶν λεγόντων ἴσοι τὸ πλῆθος τούτοις χρησμῳδοῖεν...)

[2] Nota quibus verbis utatur Plutarchus, *Nicias*, 13 : ἀλλ' ἑτέρους ἔχων μάντεις ὁ Ἀλκιβιάδης κτλ.

Digitized by Google

Herodotus narrat (VI. 57) editorum oraculorum custodiam ad reges pertinuisse, et Pythios quoque fuisse conscios (*συνειδέναι δὲ καὶ τοὺς Πυθίους*); unde quis facile colligat praeter illos neminem alium conscium fuisse[1]; nusquam tamen reges Pythiive ignotum oraculum aut oblivione obrutum ex arcano quodam tabulario excitavisse narrantur. Athenis Pisistratidae in arce vaticinia sibi solis servabant, quae postea Cleomenes rapuit (Herod., V. 90). A quo vero tyranni pulsi sunt, nulli ut videtur legibus fuit concessum quicquam quod ad salutem reipublicae spectaret prae ceteris cognitum habere. Quae Euripides scripsit in *Heracleidis* (v. 403-405), mythicis forte temporibus aetatis suae mores attribuens :

> *χρησμῶν δ' ἀοιδοὺς πάντας εἰς ἓν ἁλίσας*
> *ἤλεγξα καὶ βέβηλα καὶ κεκρυμμένα*
> *λόγια παλαιά, τῇδε γῇ σωτήρια*

frustra, ut puto, opponeres ; nam et illos *χρησμῶν ἀοιδούς* de quibus poeta loquitur privatos fuisse apparet ; et quae *κεκρυμμένα* dicuntur vaticinia, — etsi *βεβήλοις*, i. e. *profanis* contraria, — vulgo quidem minus nota fuisse arbitror, sed non ex lege recondita. Neque eis multum tribuendum puto quae praebet Dinarchus in oratione *contra Demosthenem* (§ 9) : *τὸ... γὰρ συνέδριον* (Areopagum scilicet)... *καταλύεις... ὃ φυλάττει τὰς ἀπορρήτους διαθήκας ἐν αἷς τὰ τῆς πόλεως σωτήρια κεῖται* ; nam, ut incertum est quid fuerint illae *ἀπόρρητοι διαθῆκαι*[2], ita a vero abhorret verbum *δια-*

[1] Num « Pherecydis pellis », quam et ipsam reges asservabant (Plut., *Pelop.*, 21), vaticiniorum liber revera fuerit, ut nonnullis visum est, addubitare licet.

[2] Varias doctorum sententias invenies in Lobeckii *Aglaophamo*, p. 965-967, et Maetzneri commentario ad Dinarch. l.l., p. 93-94.

Digitized by Google

θῆκαι de vaticiniis usurpatum esse[1]. Quin et hoc iam dubitari potest, exstiteritne Athenis peculiare quoddam tabularium quod vaticinia contineret, Exegetis vel aliis commissum; credidit Petersenus, nulla causa allata[2]; sed forte vaticinia in Metroo custodiebantur[3].

Illa habui quae de vaticiniorum origine dicerem ad publica negotia pertinentium; nunc de eorumdem interpretatione nonnulla mihi dicenda sunt. Athenis sacras quasdam leges Exegetae interpretabantur, Delphis ut ferebatur allatas[4]; cum talibus vero legibus, in perpetuum statutis, vaticinia in unam certam rem edita non bene, meo iudicio, contuleris[5] : quorum interpretationem non paucis civibus, sed omnibus permissam fuisse, documenta satis multa comprobant. De oraculo ante Salaminem Delphis reportato quo Athenienses « muro ligneo » confidere iubebantur, scimus Themistoclis sententiam, viri privati, vicisse; quin publicos Exegetas Herodotus ne memorat quidem, sed tantummodo *chresmologos*, id est divinationis prudentes[6] : Hierocles ille, cui titulus atticus prae-

Nil amplius forte significant verba ὃ φυλάττει τὰς... διαθήκας ἐν αἷς τὰ τῆς πόλεως σωτήρια κεῖται quam consuluisse Areopagum ut sancte riteque sacrae cerimoniae fierent (cf. Gilbert, ***Handbuch***, I², p. 315 et n. 3); verbum vero ἀπορρήτους idcirco adiunctum crediderim, quod Areopagitae in occulto, ut videtur, concilium habebant (cf. Gilbert, *o.l.*, p. 315 et n. 2).

[1] Idem in verbum ἀποθήκας cadit, quod praebet codex Dinarchi Crippsianus.

[2] ***Philologus***, Ier Supplementband, (1860), p. 186-187.

[3] Cf. Pomtow, *Neue Jahrbücher*, CXXVII (1883), p. 352.

[4] Cf. Petersen, *l.o.*, p. 155 sq.

[5] Quod fecit Petersen, *o.l.*, p. 186-187.

[6] Herod., VII.142-143 : οἱ γὰρ χρησμολόγοι ταύτῃ ταῦτα ἐλάμβανον, ὡς...· οὐκ ἔφη πᾶν ὀρθῶς τοὺς χρησμολόγους συμβάλλεσθαι...· ταῦτά σφι ἔγνωσαν αἱρετώτερα εἶναι μᾶλλον ἢ τὰ τῶν χρησμολόγων...

Digitized by Google

cipit ut anno 445 cum tribus senatoribus sacra quaedam peragat ex vaticiniis propter Euboeam decreta[1], vaticinia quibus alluditur explicavisse existimandus est[2]; — namque idem sine dubio fuit atque Hierocles Aristophaneus qui a poetis comicis nunc χρησμῳδός et χρησμολόγος audit, nunc ὁ κόραξ ὁ ἐξ Ὠρεοῦ[3]; — non tamen Exegetis publicis annumerandus videtur: nam non nisi praeter consuetudinem in Prytaneo coenavisse ab Aristophane dicitur[4], et esurientis harioli personam in *Pace* sustinet[5]; Exegetae autem, si Schoellio credendum, in Prytaneo cotidie coenabant[6]. Haec quoque forte excitanda, quae praebet oratio *contra Andocidem* pseudo-Lysiana, Andocidis tempore conscripta[7] (§ 33): εἰς τοσοῦτο δ' ἀναισχυντίας ἀφῖκται, ὥστε καὶ παρασκευάζεται τὰ πολιτικὰ πράττειν καὶ ἤδη δημηγορεῖ... καὶ συμβουλεύει εἰς τὴν βουλὴν εἰσιὼν περὶ θυσιῶν καὶ προσόδων καὶ εὐχῶν καὶ μαντειῶν, nisi de opportunitate deos consulendi, non de oraculorum interpretatione, Andocidem egisse statuas. Quid ergo? Ad explicanda oracula et tanquam ex parte deorum vel hoc vel illud commendandum magna auctoritate praeditos fuisse publicos Exegetas, haudquaquam ego diffiteor; quorum unum, Lamponem, Periclis aequalem[8], scimus decretum de Pelargico, se-

[1] CIA, IV.27ª (= Dittenb., 10), l. 64 sq.: τὰ δὲ ἱερὰ τὰ ἐκ τῶν χρησμῶν ὑπὲρ Εὐβοίας θῦσαι ὡς τάχιστα μετ[ὰ] Ἱεροκλέος τρεῖς ἄνδρας, ὃς ἂν ἕλεται ἐ βολὲ σφῶν αὐτῶν.

[2] Cf. quae scripsit Foucartus, *Revue archéologique*, XXXVIII (1877), p. 242 sq.

[3] Eupolis, fr. 212 Kock; Aristoph., *Pax*, v. 1046, 1125.

[4] Aristoph., *Pax*, v. 1084: φύτοτε δειπνήσεις ἔτι τοῦ λοιποῦ'ν Πρυτανείῳ.

[5] V. 1030 sq.

[6] *Hermes*, VI, p. 36.

[7] Cf. Blass, *Attische Beredsamkeit*, I², p. 570.

[8] Exegetam fuisse Lamponem ego post alios colligo ex Eupolidis fragmento 297 Kock: Λάμπων οὐξηγητής et Suidae loco s.v. Θουριο-

Digitized by Google

cundum oraculum ut videtur, rogavisse[1], scimus illis qui Thurios condituri erant a populo adiunctum fuisse[2], scilicet, arbitror, ut locum urbis condendae talem deligeret qualem oraculum obscure iusserat; hoc vero contendo, minus dignitate quam scientia et Lamponem et si quis alius Exegeta negotia publica tractavit, inter populares polluisse. — Quod ad Spartam attinet, memorabile quod narrat Xenophon (*Hellen.*, III. 3. 3-4) et repetiverunt alii scriptores[3]; Agide mortuo, cum regnum simul affectarent Agesilausque frater Leotychidesque filius quem spurium inimici dicebant, hoc vaticinium decantatum esse :

> φράζεο δή, Σπάρτη, καίπερ μεγάλαυχος ἐοῦσα
> μὴ σέθεν ἀρτίποδος βλάστῃ χωλὴ βασιλεία
> κτλ.

μάντεις (= Schol. Aristoph. *Nub.*, v. 332) : Λάμπων ὁ μάντις ὃν ἐξηγητὴν ἐκάλουν, ubi verbum ἐξηγητής de publico munere intellegendum arbitror. (Aliter verbum ἐξηγεῖσθαι, de Hierocle usurpatum Schol. Aristoph. *Pax*, v. 1046 : μάντις ἦν καὶ χρησμολόγος, τοὺς προγεγενημένους χρησμοὺς ἐξηγούμενος).

[1] Dittenb., 13, l. 54 sq: Τὸν δὲ βασ[ι]λέα ὁρίσαι τὰ ἱερὰ τὰ ἐν τοῖ Πελαργικοῖ, καὶ τὸ λοιπὸν μὲ ἐνιδρύεσθαι βομὸς ἐν τοῖ Πελαργικοῖ ἄνευ τᾶς βολᾶς καὶ τῦ δέμο. Μεδὲ τὸς λίθος τέμνεν ἐκ τῦ [Π]ελαργικῦ μεδὲ γᾶν ἐχσάγεν μεδὲ λίθος. Illa cum Thucydideis II. 17. 1 (τό τε Πελαργικὸν καλούμενον.. ὃ καὶ ἐπαρατόν τε ἦν μὴ οἰκεῖν καί τι καὶ Πυθικοῦ μαντείου ἀκροτελεύτιον τοιόνδε διεκώλυε, λέγον ὡς « τὸ Πελαργικὸν ἀργὸν ἄμεινον ») plerique conferre solent; non tamen praetereunda quam suspicionem nuper movit Körtius (*Ath. Mitth.*, 1896, p. 330, n. 3) : illud ἀκροτελεύτιον quod solum circumferebatur, cum una tantum littera mutata (vel duabus) easdem voces exhibeat ac celebratissimi de Megarensibus oraculi hemistichium τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον, errori forte deberi, qualem ferre potuit sollicita aetas.

[2] Suidas, s. v. Θουριομάντεις (= Schol. Aristoph. *Nub.*, v. 332) : Λάμπων...ὁ μάντις, ἐξηγητὴς ἐσόμενος τῆς κτίσεως τῆς πόλεως. Cf. Busolt, *Griech. Geschichte*, III. 1, p. 530, cum n. 1, 3.

[3] Pausan., III. 8. 9; Plut., *Ages.*, 3; *Lys.*, 22; *de Pyth. orac.*, 11.

Digitized by Google

et Diopeithem, Leotychidis fautorem, suasisse ut Agesilaus removeretur, quippe qui claudicaret; Lysandrum vero docuisse tunc futuram esse *χωλὴν βασιλείαν* si unus tantummodo regum ab Heracleidis originem duceret, atque litem obtinuisse. Quorum enim sententiae in tanta controversia civibus fidem faciebant, neuter publicus divinus fuit[1]; ille qui vicit, ne divinus quidem. — Haud aliter Thebanos Herodotus narrat (V. 79-80) de oraculo quod sub finem vi saeculi Delphis acceperant inter se disputavisse, nullo publico divino ut videtur adhibito[2]; nec de divino vocando Milesiacus titulus loquitur cuius iam mentionem feci[3], saeculo iv° exaratus (l. 5 sq.): *Ἃ δὲ ἂν ὁ θεὸς θεσπίσῃ, οἱ μὲν θεοπρόποι εἰσαγγειλάτωσαν εἰς ἐκκλησίαν, ὁ δὲ δῆμος ἀκούσας βουλευσάσθω ὅπως πάντα πραχθήσεται ἀκολούθως τῆι τοῦ θεοῦ συμβουλῆι.*

[1] Apud Xenophontem, *l.l.*, Diopeithes audit μαλὰ χρησμολόγος ἀνήρ; apud Plutarchum, ἀνὴρ εὐδόκιμος ἐπὶ χρησμολογίᾳ (*Lys.*, 22), ἀνὴρ χρησμολόγος ἐν Σπάρτῃ μαντειῶν τε παλαιῶν ὑπόπλεως καὶ δοκῶν περὶ τὰ θεῖα σοφὸς εἶναι καὶ περιττός (*Ages.*, 3).

[2] ἀπελθόντων ὧν τῶν θεοπρόπων, ἐξέφερον τὸ χρηστήριον ἀλίην ποιησάμενοι... εἶπαν οἱ Θηβαῖοι ἀκούσαντες τούτων... Τοιαῦτα ἐπιλεγομένων εἶπε δή κοτε μαθών τις...

[3] Dittenb., 391.

Digitized by Google

II

QUATENUS TIMENDUM FUERIT NE QUIBUSDAM CIVITATIBUS PRAE ALIIS ORACULA FAVERENT

Ad aliam causam devenio qua vitiari potuit usus divinationis in publicis rebus adhibitae : simultates dico inter populos exortas, quarum si participes erant oraculorum ministri, potius propriis odiis aut amicitiis quam voluntati divinae sine dubio obsecuturi erant.

Eo gravius vitium fuisse quo maiore studio Graeciae rebus, foederibus atque discordiis civitas sese admiscebat cuius intra fines stabat oraculum, primo obtutu apparet. Sed hoc quoque magni interfuit, quam arcte sacri antistites ex illa civitate pependerint[1]. Branchidarum enim (ut exemplis utar) antiquiore oraculo, quanquam apud Milesios vigente Graeciae rebus minime alienos, non adeo pertimendum fuit ne responsa darentur Milesiis solis profutura : nam penes gentem quamdam oraculum stetit[2],

[1] Adde quod apud nonnulla *manteia* vel solis civibus concessum fuit ut oraculo uterentur, vel peregrinos saltem oportuit, nisi singulari privilegio munitos, per civem quemdam consulere. Cf. Herod., VIII. 134, 135; BCH, 1895, p. 61.

[2] Testatur et ipsum oraculi nomen et quod narraverunt de Branchidarum posteris scriptores rerum Alexandri. Cf. Bouché-Leclerq, *Hist. de la Divination*, III, p. 241 et n. 1.

Digitized by Google

quae publicae Milesiorum utilitatis videtur incuriosa fuisse[1]. Vix autem fieri potuit quin longe aliter res sese haberet, quandocumque inter oraculum et civitatem necessitudo talis intercessit qualem apud Magnetes Thessaliae titulus declarat, saeculo II° exaratus[2] : ubi senatus et populi decreto ordinatur quomodo Apollinis Coropaei *manteion* interrogandum sit, compluribusque politicis magistratibus praecipitur ut vaticinantem prophetam circumstent[3].

[1] Noli tamen, ut Branchidas probes amore patria caruisse, laudare decantatum versum πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι, quem non fuisse oraculum Pomtowius bene demonstravit *(De oraculis quae exstant graecis trimetro iambico compositis*, Diss. Berolini, 1881, p. 11-16.

[2] Hunc titulum primus edidit Lollingius, in *Ath. Mitth.*, 1882, p. 163 sq.; repetivit Antonius Reichl, in Progr. des Gymnas. der Kleinseite, Prag, 1891 (*der Bundesstaat der Magneten und das Orakel des* Ἀπόλλων Κοροπαῖος) ; non de magistratibus agi foederis Magnetum, sed Demetriadis civitatis, Holleauxius nuper me docuit.

[3] L. 18-23 :ὅταν συντελῆται τὸ μαντῆον, πορεύεσθαι τὸν ἀεὶ [ἱ]ερέα τοῦ Ἀπόλλωνος τὸν ἐι[ρ]ημένον ὑπὸ τῆς πόλεως καὶ τῶν στρατηγῶν καὶ νομοφυλάκων ἀφ' ἑκατέρας ἀρχῆς ἕνα καὶ ταμίαν καὶ τὸν γραμματέα τοῦ θεοῦ καὶ τὸν προφήτην· ἐὰν δέ τις προγεγραμμένων ἀρρωστῇ εἰ ἐγδημῇ, ἕτερον πεμψάτω; l. 38 sq: καθήσθ[ω]σαν δὲ οἱ προγεγραμμένοι ἐν τῷ ἱερῷ κοσμίως ἐν ἐσθῆσιν λαμπραῖς, ἐστεφανωμένοι στεφάνοις δαφνίνοις, ἀγνεύοντες καὶ νήφοντες καὶ ἀποδεχόμενοι τὰ πινάκια παρὰ τῶν μαντευομένων· ὅταν δὲ συντελεσθῇ τὸ μαντεῖον, ἐμβαλόντες εἰς ἀγγεῖον καταςφραγισάσθωσαν... καὶ ἐάτωσαν μένειν ἐν τῷ ἱερῷ. Ἅμα δὲ τῇ ἡμέρᾳ ὁ γραμματεὺς τοῦ θεοῦ προσενέγκας τὸ ἀγγεῖον καὶ ἐπιδείξας τοῖς προειρημένοις τὰς σφραγῖδας ἀνοιξάτω καὶ ἐκ τῆς ἀναγραφῆς ἀναλαλῶν ἀποδιδόσθω τὰ πινάκ[ια...—Propter verba ὅταν συντελεσθῇ τὸ μαντεῖον verisimile videtur coram solis magistratibus responsa edita fuisse. Si enim ut quisque intraverat responsum statim accepisset, quare oportuit alterum responsum, in tabella scriptum, in sequentem diem exspectare? Neque, me iudice, deus putabatur noctu responsa scribere : nam, si putatus esset, quid sibi vellent verba quae exscripsi, quonam officio *prophetam* fungi existimavissent ? Ob id solum, si recte video, in crastinum mane tabellas servabant, ne per totum diem theorōs in

Digitized by Google

Quid vero? Ex tribus *manteiis* quae v° et iv° saeculis civitates plerumque adibant, — Delphico scilicet, Dodonaeo, Libyco —, duo posteriora nobis ita parum cognita sunt, ut, quid rationis habuerint hic prophetae cum Ammoniorum regibus, illic Selli atque Peleiades cum Thesprotorum Molossorumve dynastis, hodie plane nesciamus. Hoc autem certum est, neque Ammoniis neque Dodonaeis, cum remotas terras incolerent et ipsi semibarbari essent, cum ulla civitate graeca societatem tam arctam fuisse quae cuivis alteri suspicionem inferret[1].

Aliter de Delphis iudicandum, qui Helladis in medio stabant et cum Doriensibus affinitate iungebantur. At saltem Pythici sacerdotes nunquam inter magistratus magnae civitatis annumerandi fuerunt. Dum enim in Crissaeorum dicione Delphicus ager iacuit[2], opibus quidem florentium et qui suum nomen Crissaico mari indiderant[3], sacerdotium videntur exercuisse unius cuiusdam generis gentiles, ab externis terris oriundi ; qui, a Crissaeorum

agro ad devium templum detinerent. Omnium igitur consensu magistratibus licuit ut remotis arbitris scribenda responsa curarent; ita ut nullus, arbitror, nisi nimium credulus, ex Apolline Coropaeo de Demetriaeis tale quid rogare auderet, quale de Molossis ex Iove Dodonaeo rogavit civitas incerta (Collitz, 1590) : ἐπερωτῶντι τὸ κοινὸν τῶν...ων Δία Νάον καὶ Διώναν, ἦ α[ὐ]τὶ αὐτοῖς συμπολιτεύουσι μετὰ Μολοσσῶν ἀσφαλῆ ἦι.

[1] Illam enim Dodonaeorum cum Pelasgis consanguinitatem, quae, si Ephoro credimus (ap. Strab., 616 : τοὺς δὲ θεωροὺς ὑπονοήσαντας χαριζομένην τοῖς Πελασγοῖς τὴν προφῆτιν διὰ τὸ συγγενὲς—ἔπει καὶ τὸ ἱερὸν Πελασγικὸν ἐξ ἀρχῆς ὑπῆρξεν—κτλ...) in temporibus mythicis Boeotis suspicionem iniecit, vix credo postea ulli Graecorum formidolosam fuisse.

[2] Cf. quae de Delphis Crissaeum imperio subiectis scripserunt Müllerus, *Dorier*, I (1844), p. 257, Prellerus, *Ausgew. Aufs.*, p. 233, Busoltius, *Griech. Gesch.*, I², p. 690, alii.

[3] Cf. Busolt, *o. l.*, I², p. 691.

Digitized by Google

tyrannis vexati[1], adeo non Crissae benevolos sese praebuerunt, ut in urbem denique vicinorum populorum odia concierent, et exscidii auctores fierent. Pessumdata Crissa, in civitatis locum Delphi provecti sunt. A quo tempore verisimile est inter magistratusque civiles et oraculi ministros commercium non semper idem mansisse; sed quodnam certa quaque aetate fuerit, parum compertum habemus. Pythiam Euripides dicit ex omnibus Delphicis mulieribus electam fuisse[2]; quis vero illam elegerit, ignoramus. Hoc quoque poeta testatur, iuxta tripoda edisses Delphorum nonnullos ἀριστεῖς sorte designatos[3]; sed de illis rursus ignoramus et ex quibus desumpti sint, et quinam fuerint — (utrum templi soli antistites[4] an magistratus varii quales in Coropaeum templum convenisse modo

[1] Ad Crissaeorum saevitias fortasse alludunt homerici *hymni in Apollinem Pythium* versus 364-365 : ἄλλοι ἔπειθ' ὑμῖν σημάντορες ἄνδρες ἔσονται | τῶν ὑπ' ἀναγκαίῃ δεδμήσεσθ' ἤματα πάντα. Ceterum cf. Busoltium, *o. l.*, I², p. 692 et n. 3, 4.

[2] Eurip., *Ion*, v. 1323 : πασῶν Δελφίδων ἐξαίρετος.

[3] *Ibid.*, v. 414-416 : ΙΩΝ — Ἡμεῖς τά γ' ἔξω, τῶν ἔσω δ' ἄλλοις μέλει, | οἳ πλησίον θάσσουσι τρίποδος, ὦ ξένε, | Δελφῶν ἀριστῆς, οὓς ἐκλήρωσεν πάλος.

[4] Quam opinionem si complexus eris, novae questiones statim orientur. Cum enim complures poeta nominet, dubitari potest num in omnes cadat verbum προφητεύει. Unum prophetam Herodotus novit (VIII. 36), complures autem Aelianus (*Hist. anim.*, X. 26); deprophetis silent inscriptiones, ubi tantum ἱερεῖς apparent; cogitari potest primo unum fuisse prophetam, deinde complures quos alio nomine ἱερεῖς quoque appellabant. uncturam vero verborum quam nobis Euripides praebet (τίς προφητεύει... ; Δελφῶν .. ἀριστῆς...) ego non tanti facio ut statim colligam tunc temporis cum poeta scripsit complures prophetas simul exstitisse, praeter quos Pythiae nullus adsidebat; fieri potuit ut praeter prophetam (vel, si mavis, unum prophetarum) sacerdotes alii adstarent, *Hosii* inprimis, de quibus Plutarchus diserte loquitur, recentem eventum referens (*De def. orac.*, § 51)... ὥστε φυγεῖν μὴ μόνον τοὺς θεοπρόπους ἀλλὰ καὶ τὸν προφήτην Νίκανδρον (scilicet unicum prophetam, vel illum qui tunc adsidebat) καὶ τοὺς παρόντας τῶν Ὁσίων.

Digitized by Google

dicebamus) —, et quonam munere in oraculis edendis functi sint[1]; nisi quod pro certo habendum videtur, cum Xuthus prius rogaverit (v. 413) « ἀλλά τίς προφητεύει θεοῦ; », inter illos ἀριστεῖς prophetam numerandum esse. At fuerint illi, quicumque oracula edebant, publicae Delphorum utilitatis quam maxime curiosi[2]. Parva fuit Delphica civitas, neque militaris gloriae cupida, neque mercatura florens, oraculo solo facta dives; nota sunt quae suis ministris Apollo pollicitus erat : *H. h. in Ap. Pyth.*, v. 357.

> Δεξιτερῇ μαλ' ἕκαστος ἔχων ἐν χειρὶ μάχαιραν,
> σφάζειν αἰεὶ μῆλα· τὰ δ' ἄφθονα πάντα παρέσται,
> ὅσσα ἐμοί κ' ἀγάγωσι περικλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων

— nota quae de Delphis iocabantur comici (Athen., p. 173 C D) : Ἀχαιὸς δ' ὁ Ἐρετριεὺς ἐν Ἀλκμαίωνι τῷ σατυρικῷ καρυκοποιοὺς καλεῖ τοὺς Δελφούς... Εἰς ταὐτὰ δὲ ἀποβλέπων καὶ Ἀριστοφάνης ἔφη·

> Ἀλλ' ὦ Δελφῶν πλείστας ἀκονῶν
> Φοῖβε μαχαίρας
> καὶ προδιδάσκων τοὺς σοὺς προπόλους

καὶν τοῖς ἑξῆς δ' ὁ Ἀχαιός φησιν·

[1] Ipsi Pythiae in manus scriptas tabellas a consulentibus traditas fuisse Aristophanis Scholiasta ad *Plut.* v. 39 asserit, quae statim responsa edebat: οἱ μαντευόμενοι ἐγγράφῳ ἀνακοινώσει πρὸς τὸν θεὸν τὰς πεύσεις ἐποιοῦντο, γεγραφότες ἐν πυκτίῳ τὸ κατὰ προαίρεσιν αὐτοῖς κείμενον, στεφάνῳ δὲ ἀμφιέσαντες ἀβρῷ, τῇ μαντιπόλῳ ἐχειροτόνουν. Ἡ δὲ ἐντυχοῦσα σύμφωνον τοῖς προτεινομένοις ἐποιεῖτο τὴν ἀπόκρισιν.

[2] Ex eo quod apud Herodotum Cobon, "ἀνὴρ ἐν Δελφοῖσι δυναστεύων μέγιστον", Pythiae suasisse dicitur ut Cleomeni Spartano faveret (VI. 66), aut Timon, "τῶν Δελφῶν ἀνὴρ δόκιμος ὁμοῖα τῷ μάλιστα", oraculi ministros videtur impulisse ut Atheniensibus mitius responsum ederent (VII. 141), nos nihil lucrari possumus ad necessitudinem dignoscendam quae ex lege ac iure inter civitatem et templum intercedebat.

Digitized by Google

... τίς ὑποκεκρυμμένος μένει
σαραβάκων κοπίδων συνομώνυμε;

ἐπισκώπτουσι γὰρ οἱ Σάτυροι τοὺς Δελφοὺς ὡς περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς θοίνας διατρίβοντας; -nota Croesi, ut exemplo utar, non solum in deum delphicum sed in Delphos omnes munificentia[1]. Peregrinos excipere, visenda monstrare, donaria, coronas, titulos, monumenta pia conficere, hae fuerunt apud Delphos artes, hinc emolumenta ducebantur. Cum igitur et civitatem et privatum quemque advenae pascerent, communis utilitatis fuit quam plurimos benigne accipere, nullis infestum animum monstrare qui in futurum eos absterreret.

At per quoddam tempus Delphica civitas Phocensium foederis pars fuit[2], non ita quidem spernendi. Recte mones. Sed adeo nunquam iniquo erga Phocenses favore Delphi laboraverunt, — timentes scilicet ne divitiarum ex oraculo perceptarum partem sibi foedus exigeret —, ut potius Phocensium amicis se infensos praeberent, inimicis autem benevolos. Quod maxime cadit in Spartanos et Athenienses. Pythiae enim erga Spartam favor neque tam perpetuus fuit neque tam antiquus quam aliquis forte crediderit. Iam tempore primi Messeniaci belli oraculum cum Spartanis aperte fecisse primus inter scriptores quorum nunc opera legimus Isocrates narravit[3]; quam opinionem, historica fide destitutam, non male conicias tunc modo in lucem venisse cum, Messena ab Epaminonda in pristinum statum restaurata, et Spartani argumenta

[1] Herod., I. 54.

[2] Cf. Busoltium, *Griech. Gesch.*, I², p. 695 et n. 6.

[3] Isocr., *Archid.*, § 31 :... τοῦ πολεμοῦ μακροῦ γενομένου πεμψάντων ἀμφοτέρων εἰς Δελφοὺς, κἀκείνων μὲν σωτηρίαν αἰτούντων, ἡμῶν δ' ἐπερωτώντων ὅτῳ τρόπῳ τάχιστ' ἂν κρατήσαιμεν τῆς πόλεως, τοῖς μὲν οὐδὲν ἀνεῖλεν ὡς οὐ δικαίαν ποιουμένοις τὴν αἴτησιν, ἡμῖν δ' ἐδήλωσε καὶ τὰς θυσίας ἃς ἔδει ποιήσασθαι καὶ βοήθειαν παρ' ὧν μεταπέμψασθαι.

Digitized by Google

expiscarentur unde Messenam sibi vindicarent, et Messenii avorum praeteritas clades honestare conarentur, victoriam inimicis deis tribuendo potius quam humanis hostibus[1]. Eidem spatio temporis ac bella Messeniaca Phigalensium κάθοδος pertinet, quos, a Spartanis ex patria pulsos, Pythia oraculis adiuvisse dicitur[2]; quando vero et cuius impulsu narratio illa producta sit quam Pausanias praebet (VIII. 39. 3-4), fabulae sane persimilis, nescire ego fateor. Apud Herodotum, oraculum quidem Spartanis assentitur et animos addit, nunc in Tegeatas (in priore parte vi^i^ saec.) nunc in Argivos (a.494) perniciem molientibus[3]. Sed eisdem quoque invitis imperat (a.510) ut in suos hospites, Pisistrati filios, inopportunum bellum suscipiant[4]. — Ex altera parte, non videntur Delphi ante v^i^ saeculi medium crescentibus Athenis pertinaciter obstitisse. Equidem, num Solo circa annum 610 bellum in Salaminem parans adiutrice Pythia usus sit[5], vel paulo post, cum coram arbitris Spartanis cum Megarensibus de insulae dominio litigaret, pythicis oraculis nisus[6], cum Busoltio[7] dubito. Sed regnante primum Pisistrato (a.561-555) non sine dei delphici assensu et ope Athenienses in Chersonesum Thraciae potestatem suam protulerunt[8].

[1] Cf. *Griech. Gesch.*, I², p. 223 et n. 4, 226, 229, 580 et n. 5.

[2] Circa annum 659, cf. Busolt, *o. l.*, I², p. 605.

[3] Herod., I. 66 (patet enim, si quid veri narrationi Herodoti inest, Spartanorum inceptis favisse Pythiam, non cupiditati insidiatam esse); VI. 76.

[4] Herod., V. 63; 91. Spartanis aliquatenus displicuisse Pisistratidas, Busoltio credo (*Griech. Gesch.*, II², p. 396); sed non tam vehementer, puto, ut illi sponte sua Athenis tyrannos expellere voluissent.

[5] Plut., *Sol.*, 9.

[6] *Ibid.*, 10.

[7] *Griech. Gesch.*, II², p. 219, n.; p. 248, n. 5.

[8] Herod., VI. 35-36.

Digitized by Google

Bellum quod iussu Pythiae (ab Alcmaeonidis ceteroqui pretio corruptae)[1] anno 510 adversus Pisistratidas Lacedaemonii gesserunt, non adversus Athenas gestum est, — quod Herodotus (V. 76) bellis annumerat ἐπ' ἀγαθῷ τοῦ πλήθεος τοῦ Ἀθηναίων peractis, — nec ad adaugendas inter Graecos optimatum vires imperatum, — cum paulo post Clistheni, qui Athenis popularem civitatem stabilivit, Pythia non dedignata sit operam suam navare[2]. Parum valide, ut videtur, Thebanis anno 506 oraculum adversus Atheniensibus succurrit[3]; Aeginetis quidem, eadem aetate, satis impudenter favisse ab Herodoto (V. 89) refertur[4]; sed libenter ego crediderim apud Herodotum diversa misceri, et vaticinium quod memorat tunc demum confictum fuisse cum anno 457, id est tricensimo anno post Nicodromi irritam seditionem (Herod., VI. 87 sq.), Aegina tandem subacta est[5]. Oracula autem quibus anno 480, Persis advenientibus, Athenienses Pythia terrebat[6], non in Athenas malevolentia, sed sacerdotum ignavia hostiumque metus procuderunt. Quin et paucos annos antequam exarsit bellum Archidami, et cum Pericles Thurios condidit, et cum obsoletum morem primitias frugum Eleusinem mittendi Exegeta Lampo renovavit (anno ut videtur 444)[7], Athenis benignos Delphi se praebebant[8].

[1] Herod., V. 63; VI. 76.

[2] Cf. Busolt, *Griech. Gesch.*, II², p. 402 et n. 5.

[3] Quibus edixit *ex propinquis* auxilium expetendum esse (Herod., V. 79).

[4] Cum Athenienses, ab Aeginetis lacessitos, deterreret ne ante tricensimum annum iniurias ulcisci aggrederentur.

[5] Cf. Busolt, *Griech. Gesch.*, II², p. 645 n.

[6] Herod., VII. 139 ad fin., 140-141.

[7] Cf. Busolt, *Griech. Gesch.*, III. 1, p. 592 (addenda ad p. 475, n.)

[8] *Ibid.*, p. 530; p. 474.

Digitized by Google

Quae cum ita sint, non nego pythicos ministros, ubi inter Spartam et Athenas Peloponnesiacum bellum exortum est, Dorienses Doriensibus, optimatum fautores optimatum fautoribus utique fuisse auxiliaturos; languidius vero, ut arbitror, Spartanorum partibus accessissent, nisi accedendo semetipsos adversus Phocenses tueri voluissent. Etenim, cum anno 457, Phocensibus victis, ἐλευθέραν καὶ αὐτόνομον civitatem delphicam primum ut videtur Sparta reddidisset[1], insequente autem anno post proelium Oenophytis commissum Phocensium potestatem Athenienses Delphis restaurassent[2], cumque iterum anno 448, mensibus paucis interiectis, et Spartani Delphos liberassent[3] et Pericles foederi Phocaeo rursus subiecisset[4], non fieri potuit quin oraculi antistites, anno 431 bello ingruente, timerent ne Atheniensis populus, si reportasset victoriam, Phocensibus denuo faveret; nam Phocenses scimus adhuc tunc temporis, Spartanorum sociis licet annumeratos[5], tacitis studiis in Athenas tamen inclinasse[6]. Vides quas ob causas et, ut ita dicam, quam peculiares, oraculum, belli initio, tam diserte Peloponnesiorum partes complexum sit, quibus declaravit Apollo Pythius se ipsorum inceptis et vocatum et non vocatum adfuturum esse[7]; adde quod postea, cum Spartanorum sociorumque copiis Delphi ipsi

[1] Plut., *Cim.*, 17; cf. Bürgel, *die Pylaeisch-Delphische Amphiktyonie*, p. 177 et n. 4ª.

[2] Cf. Busolt, *Griech. Gesch.*, III. 1, p. 321-322; 333, n. 2.

[3] *Ibid.*, p. 419 et n. 2; 420 et n. 1.

[4] *Ibid.*, p. 420 et n. 3, 4.

[5] Thucyd., II. 9. 3.

[6] Thucyd., III. 95. 1.

[7] Thucyd., I. 118. 3. Attende ad verba ὡς λέγεται, ex quibus nescio an recte colligere possis rem a scriptore non pro certa habitam fuisse (de formulae vi apud Thucydidem cf. Classen ad I. 24. 4).

Digitized by Google

saepe tenerentur[1], et Athenienses a manteio intercluderentur, nil mirum si Pythia vellet nollet priores potius adiuvit. Phocensium itidem odio— (ut de avaritia taceam), — cum quibus populus Atheniensis amicitiam semper exercuit[2], Philippo Macedonum regi oraculum serius favisse, vix est quod memorem. Quid vero? Plerisque civitatibus res Phocensium prorsus alienae fuerunt. Noli igitur, propter quae notavi iniquitatis exempla, Pythicos ministros nimium carpere; oraculi gloriae non parum nocuit quod in rebus conspicuis peccavit; inde autem haud recte colligas, idem in omnibus frequenter peccasse.

[1] Cf. Thucyd., III. 101. 1.

[2] Cf. CIA, II. 54 et Köhleri comment. in *Monatsber. Berlin. Akad.*, 1866, p. 196-202.

FINIS

VIDI AC PERLEGI,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d. VII Idus Febr.
ann. MDCCCXCVIII,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR.
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

Digitized by Google

ERRATA

P. 17, l. 16 : pro « προσδέρκεσθαι » lege « προδέρκεσθαι ».

P. 67, l. 9 ; pro « in deo » lege « in deos ».

P. 68, n. 2, adde : « Hic quoque memorandum puto quod praebet Aristoteles 'Αθ. Πολ., 44. 4, a prytanibus illis post prytaniam sextam comitia habita fuisse ἐφ' ὧν ἂν εὐσημία γένηται. »

P. 70, l. 9-10 : lege « gentibus ».

P. 76, n. 8 : pro « 'Οπύεντος » lege « 'Οπόεντος ».

Ignoscat lector benevolus si graecorum verborum accentus nonnunquam aut omissi sunt aut perperam adhibiti ; quorum errorum plurimi typothetis sane debentur, etsi pars aliqua mihi ipsi forte tribuenda est.

Digitized by Google

RERUM CONSPECTUS

PROOEMIUM. 5

PARS PRIOR. — De divinatione in universum

I. Quid commodi Graeci ex divinatione sibi speraverint. 7

II. Quomodo aptum respondendo deum sibi finxerint. 33

III. Qualem pietatem prodat usus divinationis . . . 38

IV. Qua arte divini responsa contexuerint 53

PARS ALTERA. — De divinatione in publicis rebus adhibita

I. Quatenus in civitatibus factionibus licuerit divinatione abuti 66

II. Quatenus timendum fuerit ne quibusdam civitatibus prae ceteris oracula faverent 88

Lyon. — Imp. Pitrat Aîné, A. Rey Succ., 4, rue Gentil. — 17156

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Lyon. — Imp. PITRAT AINÉ, A. REY Succ., 4, rue Gentil. — 17156

Digitized by Google

Digitized by Google

14 DAY USE
RETURN TO DESK FROM WHICH BORROWED
LOAN DEPT.
This book is due on the last date stamped below, or on the date to which renewed.
Renewed books are subject to immediate recall.

SEP 5 - 1966 7 7
RECEIVED
AUG 23 '66 -12 AM
LOAN DEPT.
JAN 26 1988
AUTO. DISC. MAR 11 '87
Received in Interlibrary Loan
MAR 10 1987

LD 21A-60m-10,'65
(F7763s10)476B

General Library
University of California
Berkeley

Digitized by Google

YC 98915

GENERAL LIBRARY - U.C. BERKELEY

B000888039



Digitized by Google